







Wieno No 5034 del: Birckart sculp: P.

AGENDA

SEU

RITUALE OLOMUCENSE,

Ad Usū Romanū, quoad fieri potuit,
accommodatum, complectens

SACRAMENTALIA CÆREMONIALIA

EXTRAORDINARIA,

Animarum Curatoribus scitu necessaria.

SUB FELICISSIMO REGIMINE

REVERENDISSIMI ac CELSISSIMI

PRINCIPIS

DOMINI DOMINI

JACOBI ERNESTI,

DEI Gratiā EPISCOPI Olomucensis, DUCIS, Sacri Ro-
mani Imperii PRINCIPIS, Regiæ Capellæ Bohemiæ
& de Lichtenstein COMITIS, &c.

*In lucem demū editum, ac in defectu exemplarium recusum,
ut publicæ Functiones Ecclesiæ ritè ac uniformiter
per totam Diœcesim peragantur.*

Reimpressum Regiæ-Hradecii, Typis Joannis Clementis Tibelli

Aprò M. DCC. XLV.

Curat it etiam, ut sacra Supellex, vestes ornamenta, linteamina, & Vasa ministerii integra, nitidâque sint, & munda.

In Sacramentorum administratione; eorum virtutem, usum, ac utilitatem, & cæremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum præcepit; ex Sanctorum Patrum, & Catechismi Romani doctrina, ubi commodè fieri poterit, diligenter explicabit.

Dum Sacramentū aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius Formam, & Ministerium pertinent, attentè & distinctè, & piè, atque clarâ voce pronunciabit. Similiter & alias orationes, & preces devotè ac religiosè dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet; sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias, ac ritus itâ decenter, gravique actione peraget, ut astantes ad cælestium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat.

Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur; in ipsâque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.

Illud porrò diligenter caveat, nè in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa, vel occasione, directè vel indirectè, exigat, aut petat; sed ea gratis ministret, & ab omni Simonia, atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissimè absit. Si quid verò nomine elemosynæ, aut devotionis studio, per acto jam Sacramento, spontè à Fidelibus offeratur, id licitè pro consuetudine locorum, accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causâ, vel de licentia Parochi seu Ordinarii.

Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt; locò, & tempore opportuno monebit, ut remoto inani Colloquio, & habitu actuque indecenti, piè, ac devotè Sacramentis intersint, & eâ, quâ par est reverentiâ suscipiant.

Librum hunc Ritualem (ubi opus fuerit) semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque & Cæremonias in eo præscriptas diligenter servabit.

*Cæterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere præscribuntur; cuiusmodi sunt: **Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, extrema Unctio & Matrimonium.** Reliqua verò duo Sacramenta, **Confirmationis & Ordinis,** cum propria sint Episcoporum, ritus suos habent in Pontificali præscriptos. Et ea, quæ de iis, atque aliis Sacramentis scire, servare, & docere Parochi debent, cum ex aliis Libris, tum præcipue ex Catechismo Romano sumi possunt. Si quidem hæc de iis ferè tantum agere instituti operis ratio postulat, quæ ad ipsorum quinque Sacramentorum ritus pertinent.*

Postremò quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat Libros necessarios ad Officium suum pertinentes, eosque præsertim, in quibus variarum Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam describuntur, ut in hoc Rituali suo locò habetur.

DE SACRAMENTO BAPTISMI, ritè administrando.

S*acrum Baptisma Christianæ Religionis, & æternæ Vitæ Januam, quod inter alia novæ Legis Sacramenta à Christo instituta, primum tenet locum, cunctis ad Salutem necessarium esse, ipsa Veritas testatur illis verbis: **Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.** Itaque summa ad illud opportune, ritèque administrandum, ac suscipiendum diligentia adhibenda est.*

*Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure Divino absolutè necessaria: ut **Materia, Forma, Minister;** alia ad illius Solemnitatem pertineant, ut **Ritus, ac Cæremonia,***
quas

quas ex Apostolica, & antiquissima Traditione acceptas, & approbatas, nisi necessitatis causâ ommittere non licet, de iis aliqua præmonenda sunt, ut sacrum hoc Ministerium ritè, ac sanctè per agatur.

De Materia Baptismi.

AC primùm intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti Materia sit Aqua vera, ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

Aqua verò solemnis Baptismi sit eò annò benedicta in Sabbato Sancto Paschalis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in Fonte mundo nitida, & pura diligenter conservetur; & hæc, quando nova benedicenda est, in Ecclesia, vel potius baptisterii Sacrarium effundatur.

Si Aqua benedicta tam imminuta sit, ut minùs sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

Si verò corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quòvis modò de fecerit, Parochus in Fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem Aquam infundat, eamque benedicat ex Formula, quæ infra præscribitur.

Sed si aqua congelata sit, curetur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum Aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiscere Aquæ Baptismali in Vasculo ad id parato, & eâ tepesactâ ad Baptizandum uti, nè noceat infantulo.

De Forma Baptismi.

Quoniam Baptismi Forma his verbis expressa: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omninò necessaria est, ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno, & eodem tempore, quò fit ablutio pronuncianda sunt. Latinus Presbyter latinâ Formâ semper utatur.

Cum Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub Conditione, de quo infra, sit baptizandus, ea Conditiō explicanda est hōc modō; Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. Hāc tamen conditionali formā non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, & ubi re diligenter per vestigatā probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum.

Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem Aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur: ita ut trinā Ablutione Caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno, & eodem tempore, quo Verba proferuntur, & idem sit Aquam adhibens, & Verba pronuntians.

Ubi verò Baptismus fit per infusionem Aquæ, cavendum est, ne Aqua ex Infantis capite in fontem, sed vel in Sacrarium Baptisterii propè ipsum Fontem extructum defluat, aut in aliquo Vase, ad hunc usum parato, recepta in ipsius baptisterii, vel in Ecclesie Sacrarium effundatur.

De Ministro Baptismi.

Legitimus quidem Baptismi Minister est Parochus; vel alius Sacerdos à Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties Infans aut Adultus versatur in vitæ periculo, potest sine Solemnitate à quocunque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive Laico, etiam excommunicato, sive Fidei, sive Infideli, sive Catholico, sive Hæretico, sive Viro sive Fæmina, servatâ tamen Formâ, & intentione Ecclesie.

Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur: Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, & Vir fæminæ; nisi pudoris gratiâ deceat Fæminam potiùs quàm Virum baptizare Infantem non omninò editum, vel nisi meliùs Fæmina sciret formam, & modum

dum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut Fideles præsertim Obstetrices rectum baptizandi ritum probè teneant & seruent.

Pater aut Mater propriam Prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet: neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii usum impediat.

De Baptizandis Parvulis.

Opportunè Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos Infantes sive baptizandos, sive baptizatos quàm primùm fieri poterit, & quâ decet Christianâ modestiâ sine pompæ vanitate deferant ad Ecclesiam, nè illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis, & ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ Ceremoniæ, ritusque suppleantur, omiſſâ formâ & ablutione.

*Nemo in utero Matris baptizari debet. Sed si Infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum pendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus eò modò, quo supra dictum est: **Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, &c.** Si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.*

Si Mater prægnans mortua fuerit, fætus quàm primùm cautè extrabatur, ac si vivus fuerit, baptizetur, si fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. Infantes expositi & inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.

In Monstris verò baptizandis, si casus eveniat, magna cau-

tio adhibenda est, de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat.

Monstrum, quod humanam speciem non præfert, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: **Si tu es Homo, ego te baptizo, &c.**

Illud verò, de quo dubium est, unãne, aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita; unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, & animæ hominesque distincti, & eò casu singuli seorsim sunt baptizandi, unicuique dicendo: **Ego te baptizo, &c.** Si verò periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit Minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: **Ego vos baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.** Quam tamen formam in iis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, verùm aliàs nunquam, licet adhibere.

Quando verò non est certum in Monstro esse duas personas, ut, quia duo capita, & duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primùm unus absolute baptizari, & postea alter sub conditione, hoc modo: **Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.**

De Patrinis.

Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores, seu Patrinos elegerint, qui Infantem de sacro Fonte suscipiant, nè plures, quàm liceat, aut indignos, vel ineptos admittat.

Patrinus unus tantùm sive Vir, sive Mulier, vel ad summum,

num, unus & una adhibeantur, ex Decreto Concilii Tridentini: sed simul non admittantur duo Viri, aut duæ mulieres, neque ipsius baptizandi Pater, aut Mater.

Hos autem Patrinos saltè in ætate pubertatis, ac Sacramentò Confirmationis consignatos esse maxime convenit.

Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè excommunicatos, aut interdictos, non publicè criminosos, aut infames, nec præterea qui sanà mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta Fidei. Hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi Fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares à seculo segregati.

De tempore, & loco administrandi Baptismum.

Q*Uamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti, & Cessationis a Divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesie ritu sacri sunt dies, in quibus solemnè Cæremoniâ, hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempe Sabbatum Sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis Fontis Aqua ritè consecratur. Quem ritum quantum fieri commodè potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certè non omninò prætermitti, præcipuè in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis.*

Ac licet, urgente necessitate, ubique baptizare, nihil impediat, tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons baptismalis, vel certè Baptistarium propè Ecclesiam.

Itaque necessitate exceptâ, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi fortè sint Regum, aut magnorum Principum Filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, & in Aqua baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco, & forma, materiâque solida, & quæ Aquam bene contineat, decenter ornatum, & Cancellis circumseptum, serâ & clave munitum, atque ita observatum, ut pulvis, vel aliæ sordes intrò non penetrent, in eoque ubi commodè fieri potest, depingatur Imago Sancti Joannis Christum baptizantis.

De sacris Oleis, & aliis Requisitis.

S*acrum Chrisma, & sanctum Oleum, quod & Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eòdem anò sint ab Episcopo benedicta Feriâ quintâ in Cæna Domini.*

Curet Parochus, ut ea suo tempore quàm primùm habeat, & tunc vetera in Ecclesia comburat.

Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultrà annum non utatur: ac si deficere videantur, & Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de Olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.

Chrisma & Oleum sacrum sint in suis Vasculis argenteis, aut saltem stanneis bene obturatis: quæ Vascula sint inter se distincta, & propriam unumquodque inscriptionem habeat majusculis litteris incisam, nè quis error committatur.

Ad usum verò quotidianum minora habeantur Vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno; sive separata, sive etiam juncta: aptè tamen distincta, & bene cooperta, & cum suis inscriptionibus, ut suprâ, nè Parochus aberret, & unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter.

In ea igitur ex majoribus vasculis Chrismatis, & Oleo, quod sufficit, infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium, seu quid simile, habere Oleo sacro, & Chrismate separatim perfusum, in quæ Pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur.

Hæc vascula ita parata, in loco proprio, honesto, ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asserventur, nè ab aliquo nisi à Sacerdote temerè tangantur, aut eis sacrilegè quispiam abuti possit.

Parochus quantum fieri potest, curet, nè per Laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem, vel saltèm per alium Ecclesiæ Ministrum hæc Olea deferantur: caveat itèm, nè de iis quidquam ulli unquam tribuat; cujusvis rei prætextu.

Sal, quod in os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione, quæ infrà præscribitur; neque utatur Sale exorcizato ad benedicendum Aquam; sitque priùs bene confractum & attritum, siccum & mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur; sed ad alios baptizandos servetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

Cum igitur Baptismi Sacramentum jam administrandum est, hæc in promptu esse debent:

Vascula sacri Olei Catechumenorum, & Chrismatis.

Vasculum cum sale benedicendo, vel jam, ut dictum est, benedicto.

Vasculum, seu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam suprà caput baptizandi, quod nulli præterea alii usui deserviat.

Pelvis, seu bacile ad excipiendam Aquam ex capite defluentem, nisi statim in Sacrarium defluat.

Gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacris Oleis inuncta.

Stolæ duæ, ubi commodè haberi possunt, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, mutanda; sin minus, una saltem adbibeatur.

Medulla panis, quâ inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur, & vas pro manuum lotionem post Baptismum, quod huic tantum usui deservire decet.

Alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum.

Cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda.

Hic denique Ritualis liber sit paratus, & item Liber Baptismalis, in quo baptizati describuntur.

Omniibus igitur opportunè præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, Superpelliceo & stolâ violaceâ indutus accedat, Clericum unum, seu plures, si potest, secum adbibeat, superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi foris expectant, qui infantem detulerunt.

Interroget (nisè de his bene sibi constet) an sit suæ Parochiæ, masculus an femina, an sit domi baptizatus, & à quo, & quam ritè, & qui sint Compatres, qui infantem teneant, pro eoque respondeant; quos piè ac decenter assistere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam DEI Filiis in Christo regenerandis, & in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet, nè obscæna, fabulosa, aut ridicula, vel inanum Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest Sanctorum, quorum exemplis fideles ad piè vivendum excitentur, & patrociniis prote-
gantur.

His

His igitur expeditis, & accepto Nomine baptizandi, positi, si infans fuerit, super brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans:

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

Sacerdós imprimis Linguâ vulgari interroget de Nomine Parvuli, dicendo:

Latinè.	Boëmice.	Germanicè.
Quomodo vultis vocare Infantem?	Kterak tomu Dj- tėti hcete rškati?	Wie vult ihr das Kind nennen?
Respondent Patrini.	Kmotr odpowjda:	Gevat: antworten:
N.	Ń.	N.
<i>Et mox repetendo hoc ipsum Nomen interroget:</i>		
N. Quid petis ab Ecclesia DEI.	N. Cožadás od Cyrkwe Boží?	N. Was begehrest du von der Kirchen Gottes?
Patrini. Fidem.	Kmotr. Wjru.	Gevattern.
Sacerdos.	Kněz.	Den Glauben.
Fides quid tibi præstat?	Wjra co tobě dá?	Priester. Was gibt dir der Glauben?
Patrini.	Kmotr.	Gevattern.
Vitam æternam.	Život věčný. Sacerdos.	Das ewige Leben.

Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata:
Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde

tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, & dicat semel: Exi ab eo (vel ab ea, quæ variatio generis, ubi necesse est, semper observetur) immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclyto.

Postea pollice dextero faciat signum Crucis in fronte & in pectore infantis dicens: Accipe signum Crucis tam in fronte ✝ quam in corde ✝ fume fidem cœlestium præceptorum, & talis esto moribus, ut templum DEI jam esse possis.

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum **N.** Crucis Dominicæ impressione signatum perpetuâ virtute custodi: ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat:

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, respicere dignare super hunc Famulum tuum **N.** quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, dirumpe omnes laqueos satanæ, quibus fuerat colligatus, aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut signô sapientiæ tuæ inbutus, omni-

dicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

R. Amen.

Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis dicens: N. Accipe salem sapientiæ propitiatio sit tibi in vitam æternam. R. Amen.

Sacerdos. Pax tecum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS Patrum nostrorum, DEUS universæ Conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum **N.** respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem, non diutiùs esurire permittas, quò minùs cibo expleatur cœlesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper Nomini serviens. Perduc eum Domine quæsumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum Fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Exorcizo te immunde Spiritus in Nomine Patris ✱, & Filii ✱, & Spiritûs Sancti ✱, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei **N.** Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem DEO vivo & vero, da honorem JESU Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto:

cto: & recede ab hoc famulo Dei **N.** quia istum sibi DEUS, & Dominus noster JESUS Christus ad suam Sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem, dicens:

Et hoc signum sanctæ Crucis ✠, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Mox imponit manum super caput infantis, & dicit:

Oremus.

ÆTernam ac justissimam pietatem tuam, deprecor, Domine Sancte Pater omnipotens, æterne DEUS, Auctor luminis, & veritatis, super hunc Famulum tuum **N.** digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & sanctifica, da ei scientiam veram, ut dignus gratiâ Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem, & introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam æternam. **R.** Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad Fontem cum Susceptoribus conjunctim clarâ voce dicit.

Credo in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in JESUM Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, Amen.

Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur Nomen tuum: adveniat Regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et nè nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Ac deinde, antequam accedat ad Baptisterium, dicat:

EXORCISMUS.

EXorcizo te omnis spiritus immunde, in nomine DEI Patris omnipotentis ✨ & in nomine JESU Christi Filii ejus, Domini & Judicis nostri

stri ❀ & in virtute Spiritus Sancti ❀ ut discedas ab hoc plasmate Dei. **N.** quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus sanctus habitet in eo. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. **R.** Amen.

Posteà Sacerdos digitò accipiat de saliva oris sui, & tangat aures & nares infantis: tangendo verd aurem dexteram & sinistram, dicat:

Ephphetha, quod est adaperire. *Deinde tangat nares dicens:* In odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium DEI.

Posteà interrogat baptizandum nominatim, dicens:

N. Abrenuntias Sathanæ?

Patrini.

Abrenuntio.

Sacerd: Et omnibus operibus ejus.

Patrini.

Abrenuntio.

Sacerd: Et omnibus pompis ejus.

Patrini.

Abrenuntio.

N. Ođrjássli se Satanasse?

Rmotr.

Ođrjám.

Rněz. Y wssch skutkúw geho?

Rmotr.

Ođrjám.

Rněz. Y wssý Pexchy geho?

Rmotr.

Ođrjám.

N. Widersagst du dem Teuffel?

Gevattern. Ich widersage.

Priester. Und allen seinen Wercken?

Gevattern. Ich widersage.

Priester. Und aller seiner Pracht.

Gevattern. Ich widersage.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter scapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te lineo ✠ Oleô salutis in Christo JESU Domino nostro, ut habeas vitam æternam. R. Amen.

Hic deponit Stolum violaceam, & sumit aliam albi coloris.

Subinde pollicem, & inuncta loca abstergit bombaciô, vel re simili: & interrogat expresso nomine baptizandum,

Patrino respondente:

N. Credis in DEUM Patrem omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ?

Patrini.

Credo.

Sacerd. Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, & passum?

Patrini.

Credo.

Sacerdos.

Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam.

Patrini. Credo.

N. Wěřsli w Bô-
HU Otce Wssemo-
haucyho / Sworiz-
tele Nebe y Země?

Rmotr.

Wěřjm.

Rněz. Wěřsli w
Głzisse Krysta Sy-
na geho gedineho
Pána nasseho / naro-
zeneho a Vkrizowa-
neho?

Rmotr.

Wěřjm.

Rněz.

Wěřsli w Duchu
Swateho / Swatau
Cyrkw Obecnu /
Swatých Obcowá-
nj / Hěichuw odpu-
stěnj / Těla z Mrt-
wých wzkrisěnj / a
Žiwot wěčný?

Rmotr. Wěřjm.

N. Glaubst du in Gott den Vater, allmächtige Schöpfer Himmels und der Erden?

Gevat: Ich glaub. **Priester.** Glaubst du auch in Jesum Christum seine eingeborenen Sohn unsern Herrn, der geboren ist, und gelitten hat?

Gevat: Ich glaub. **Priester.** Glaubst du auch in den Heiligen Geist, ein Heilige Catholische Kirchen, Gemeinschaft der Heiligen, Vergebung der Sünden, Auferstehung des Fleisches, und ein ewiges Leben?

Gevat: Ich glaub.

Subinde expresso nomine baptizandi Sacerdos dicit:

N. Vis

N. Vis baptizari.
Patrini.
Volo.

N. Chcessli pokřten
býti?
R. motr. Chcy.

N. Bilst du ge-
taufst werden?
Gevatter. Ich will.

Tunc Patrino vel Matrino, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam Baptismalem, & de ea ter fundit supra caput infantis in modum Crucis, & simul verba proferens, semel tantum distincte, & attentè dicit:

N. Ego te baptizo in Nomine ✠ Patris (fundat primò) & Filii ✠ (fundat secundò) & Spiritus Sancti ✠ (fundat tertio.)

Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, & advertens, ne lædatur, cautè caput ejus immergit; & trinà mersione baptizat, & semel tantum dicit:

N. Ego te baptizo in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠.

Mox Patrinus, vel Matrino, vel uterque simul infantem à sacro Fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hęc forma: N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti. Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, & ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens:

DEUS Omnipotens, Pater Domini nostri JESU Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum (hic inungit) ipse te lineat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo JESU Domino nostro in vitam æternam. **R.** Amen.

Sacerdos. Pax tibi. **R.** Et cum spiritu tuo.

Tum bombaciò aut re simili, abstergit pollicem suum, & locum inunctum, & imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albæ, dicens :

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini nostri JESU Christi, ut habeas vitam æternam. *R.* Amen.

Posteà dat ei, vel Patrino, candelam accensam, dicens :

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum : serva DEI mandata, ut, cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, unà cum omnibus Sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Postremò dicit : N. Vade in pace, & Dominus sit tecum, R. Amen.

Si verò fuerint plures baptizandi, sive masculi, sive feminae, in Catechismo masculi statuatur ad dexteram, feminae verò ad sinistram, & omnia pariter dicantur, ut supra in proprio genere, & numero plurali, verùm prima nominis interrogatio, exsufflatio, crucis impressio, seu signatio, tactus aurium & narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide, seu Symbolo, & ipse Baptismus, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atque accensæ candelæ traditio, singulariter singularis, & primum masculis, deinde feminis fieri debent.

Si infans, vel adultus ægrotus adeò graviter laboret, ut periculum imineat, ne pereat, antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos omissis quæ Baptismum præcedunt, eum baptizet, ter, vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens : Ego te baptizo in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti.

Si non habeatur aqua Baptismalis, & periculum impendeat, Sacerdos utatur aquâ simplici.

Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice, dicens: DEUS omnipotens, Pater Domini nostri JESU Christi, &c. ut supra.

Postea dat ei lintecolum candidum, dicens: Accipe vestem candidam, &c.

Ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens: Accipe lampadem, &c. ut supra. Si supercixerit, suppleantur alii ritus omissi.

Admonendi sunt susceptores de spiritali cognatione, quam contraxerunt cum Baptizato, baptizatique Patre, & Matre, quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus, parentes infantis admoneri, nè in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum: sed eum diligenter custodiant, & opportunè ad Christianam disciplinam instituant.

Comonendi sunt etiam parentes, & alii, si opus fuerit, nè filios hebræis, aliisque infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullò modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut Susceptores discedant, eorum Nomina, & alia de administrato Baptismo ad præscriptam Formam in Baptismali libro, Parochus accuratè describat.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

S*I quis adultus sit baptizandus, debet priùs secundum Apostolicam Regulam in Christiana Fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas & propositum sæpiùs explorari, & non nisi sciens, & volens, probeque instructus baptizari.*

At verò si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizari que voluerit, habitâ ratione periculi, vel necessitatis, baptizetur.

Adultorum Baptismus, ubi commodè fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut, si illi placuerit, ab eo solemnitus conferatur, alioquin Parochus ipse baptizet, statâ cæremoniâ.

Decet autem hujusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, solemniter celebrari.

Quare si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit.

Verùm si circâ, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægrè ferant, suum Baptisma in longum tempus differri, & ad illud festinent, instructique, ac ritè parati esse noscantur, citiùs baptizari possunt.

Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia, seu in baptisterio. Patrinus ei assistat, & ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat: nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotæ linguæ: quo casu, vel per Patrinum, si illum intelligat, aut alium interpretem, vel nutu consensum explicet suum.

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quàm ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos.

Quare non post epulas, aut prandium, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat.

Amentes, & furiosi non baptizentur, nisi tales à natiuitate fuerint; tunc enim de iis idem iudicium faciendum est, quod

quod de infantibus ; atque in Fide Ecclesiæ baptizari possunt.

Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint, Si verò antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

Idemque dicendū est de eo, qui lethargō aut phrenesi laborat ; ut tantum vigilans, & intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.

Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu, & conditione eorum, qui baptizari petunt, præsertim exterorum. De quibus factâ diligenti inquisitione, num alias, ac ritè sint baptizati, caveat, nè quis jam baptizatus imperitiâ, vel errore, aut ad quæstum, vel ob aliam causam, fraude, dolore iterum baptizari velit.

Omnes autem, de quibus re diligenter investigatâ probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediât, sub conditione baptizentur.

Heretici verò ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma, aut materia servata non est, ritè baptizandi sunt : sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant, & detestentur, & in Fide Catholica diligenter instruantur : ubi verò debita forma, & materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

Cæterum legantur, & serventur ea, quæ suprâ de Baptismo in communi præscripta sunt, Paginâ 4. & seqq.

ORDO BAPTISMI ADULTORUM.

IN primis Sacerdos paratis his, quæ suprâ de observandis in administratione Sacramenti Baptismi parvulorum dicuntur, indutus superpelliceo, & stolâ, vel etiam pluviali violacei co-

loris, cum suis Clericis accedit ad gradus altaris, & genibus flexis, pijs mente ad DEum preces effundit; ut tantum Sacramentum dignè valeat ministrare, & ad implorandum Divinum auxilium, surgens se signat, & si temporis ratio ferat, dicit:

DEus in adiutorium meum intende. *R.* Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Postea incipiat prosequentibus Clericis, Antiphon.

EFFundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

Psalmus 8.

Domine Dominus noster: quàm admirabile est Nomen tuum in univèrsa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua: super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: ut destruas inimicum & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundâsti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves & boves univèrsas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris: qui perambulant fœmitas maris.

Domine Dominus noster: quàm admirabile est Nomen tuum in univèrsa terra.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, &c.

Psal.

Psalms 28.

Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam Nomini ejus, adorete Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: & sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. **Sicut, &c.**

Psalms 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te DEUS.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem DEI?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam : quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis : sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea : & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultûs mei, & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est : propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonijm à monte modico.

-Abysus abyssum invocat : in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui : super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam : & nocte canticum ejus.

Apod me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei ? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus.

Dum confringuntur ossa mea : exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultûs mei, & Deus meus,

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Et repetitur Antiphona : Effundam super vos aquam mundam.

Quâ repetitâ dicitur : **K**yrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison. **P**ater noster. **✠.** Et nē nos inducas in tentationem. **℞.** Sed libera nos à malo. **✠;** Domine exaudi

Ora-

Orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Y.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ Fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Oratio.

Adesto supplicationibus nostris, Omnipotens Deus, quod humilitatis nostræ gerendum est ministeriô, tuæ virtutis impleatur effectû.

Oratio.

DA quæsumus Domine, Electo nostro; ut sanctis edoctus mysteriis, & renovetur fonte Baptismatis, & inter Ecclesiæ tuæ membra numeretur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Si plures fuerint baptizandi, hæc tertia Oratio dicatur in numero plurali.

Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiæ, & stat in limine, Catechizandus verò extra limen. Et si sunt plures mares & feminae, illi ad dexteram Sacerdotis, hæc verò ad sinistram statuantur, & Sacerdos interroget:

Quo nomine vocaris?

Catechumenus Respondet, N.

Sacerdos.

Quid petis ab Ecclesia Dei?

Catech: R. Fidem.

Sacerdos.

Fides quid tibi præstat?

Catechum: R.

Vitam æternam.

Gal tobě rjka-
gi ?

Odpojdá.
N.

Co žádáš od Cyr-
kve Bžj ?

Odpo: Wjru.

Rněz.

Wjra co tobě
dá ?

Odpo:

Život věčný.

Sacerdos.

Wie wirst du ge-
nannt?

Antwort. N.
Priester.

Was begehrest du
vonder KirchenGottes?

Antwort. Den
Glauben.

Priester.

Was gibt dir der
Glauben?

Antwort.

Das ewige Leben.

SI vis habere vitam æternam, serua mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum: In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venereris, neque confundendo personas, neque substantiam separando. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, sed horum trium una est substantia, & non nisi una Divinitas.

Et rursus interrogat.

Sacerdos.

N. Abrenuntias Sa-
thanæ?

Respo:

Abrenuntio.

N. Odřikássi se
Satanáse?

Odpo:

Odřikám.

N. Widersagst du
dem Teuffel?

Antwort. Ich wi-
dersage.

Sa-

Sacerd: Et omnibus operibus ejus?

Respo:

Abrenuntio.

Sacerd: Et omnibus pompis ejus?

Respo:

Abrenuntio.

Kněz. Y wšſech skutkúw geho?

Odpó:

Odříkám.

Kněz. Y wššý Pěchy geho?

Odpó:

Odříkám.

Priester. Und allen seinen Wercken?

Antwort. Ich widersage?

Priester. Und aller seiner Pracht?

Antwort. Ich widersage.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens:

N. Credis in Deum Patrem Omnipotentē Creatorem Cœli & terræ?

Resp:

Credo.

Sacerd: Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrū, natum, & passum?

Resp:

Credo.

Sacerdos.

Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccato-

N. Wěřšli w Boha Otce Wššemo-
baucýho / Stworitele Nebe y Země?

Odpó:

Wěřim.

Kněz. Wěřšli w Gezišše Krysta Syna geho gedineho Pána nasseho / narozeneho a Vřizžowaneho?

Odpó:

Wěřim.

Kněz.

Wěřšli w Ducho Swateho / Swatau Cyrkew Obecnu / Swatých Obcowání / Hřichúw odpus-

N. Glaubst du in Gott den Vater, allmächtigē Schöpfer Himmels und der Erden?

Antw: Ich glaub.

Priester. Glaubst du auch in Jesum Christum seinen eingebornen Sohn unsern Herrn, der geboren ist, und gelitten hat?

Antw: Ich glaub.

Priester. Glaubst du auch in den Heiligen Geist, ein Heilige Catholische Kirchen, Gemeinschaft der Heiligen, Vergebung der Sünden,

rum, carnis resurrectionem, vitam æternam?

Resp:
Credo.

||cěnj / Cěla z met-
wých wzkrěssenj / a
Žiwot wěčný?

Odpo:
Wěřjm.

Auferstehung des
Fleisches, und ein ewiges Leben?

Antw:
Ich glaube.

Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens:

Exi ab eo spiritus immunde, & da locum Spiritui Sancto Paraclyto.

Hic per modum Crucis halet in faciem ipsius, & dicat:

N. Accipe Spiritum Sanctum per istam insufflationem, & Dei benedictionem ✠. Pax tibi. **R.** Et cum spiritu tuo.

Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte, & in Pectore, dicens:

N. Accipe signum Crucis tam in fronte ✠ quàm in corde ✠, sume Fidem cœlestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis: ingressusque Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis lætus agnosce: horresce idola; respue simulacra; cole Deum Patrem Omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. **R.** Amen.

Hic advertendum est, quòd dicta verba: horresce Idola; respue simulacra, dicantur Catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, seu de Ethnicis, & Idololatriis. Catechumeno verò Judæo, sive ex Hebræis venienti, locò horum verborum dicatur: horresce Judaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem.

Saraceno autem vel Turcæ, aut Persæ, sive alii ex Mahumeticis ad Fidem venienti, locò horum verborum dicatur: horresce Mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

At hæretico ad Catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in ejus Baptismo debita forma servata non est, baptizari debet, dicatur: horresce hæreticam pravitatem: respue nefarias sectas impiorum. Vel exprimatur proprio nomine secta, de qua Catechumenus venit.

Si plures sunt Electi, omnia supra dicta dicuntur singillatim super singulis.

Oramus.

TE deprecor, Domine S. Pater Omnipotens, Æterne Deus, ut huic famulo tuo N. qui in hujus sæculi nocte vagatur incertus ac dubius, viam veritatis & agnitionis tuæ jubeas demonstrari: quatenus referatis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoscat, atque hujus confessionis fructum, & hic & in futuro sæculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Si plures fuerint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali, & in genere suo. Deinde signet illum signo Crucis cum pollice in fronte, dicens:

Signo tibi frontem ✠ ut suscipias Crucem Domini.

In auribus, signo tibi aures ✠ ut audias divina præcepta.

In oculis, signo tibi oculos ✠ ut videas claritatem Dei.

In naribus, signo tibi nares ✠ ut odorem suavitatis Christi sentias.

In ore, signo tibi os ✠ ut loquaris verba vitæ.

In pectore, signo tibi pectus ✠ ut credas in Deum.

In scapulis, signo tibi scapulas ✠ ut suscipias jugum servitutis ejus.

In toto corpore illud non tangens manu, producit signum Crucis, & dicit:

Signo te totum in Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Si plures sint Electi, præcedentes Orationes, & Exorcismi dicantur in numero plurali, & genere suo. Signationes autem fiant, & illarum verba dicantur singula singulis.

Oremus.

PReces nostras quæsumus Domine, clementer exaudi, & hunc Electum tuum N. Crucis Dominicæ, cujus impressione eum signamus, virtute custodi: ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta fervans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus.

DEUS, qui humani generis ita es Conditor, ut sis etiam Reformator, propitiare populis adoptivis, & novo testamento sobolem novæ prolis adscribe: ut filii promissionis quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Tunc imponit manum super caput Electi, & dicit:

Oremus.

OMnipotens sempiternæ DEUS, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris super hunc

hunc famulum tuum **N.** quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, dirumpe omnes laqueos sathanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine, januam pietatis tuæ, ut signô Sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum foëtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, perceptâ medicinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Si plures sint, hæc & præcedens Oratio dicantur in numero plurali.

Deinde Sacerdos benedicit sal.

Benedictio Salis dandi Catechumeno.

EXorcizo te creatura salis, in Nomine Dei Patris Omnipotentis ✱, & in charitate Domini nostri Jesu Christi ✱, & in virtute Spiritûs Sancti ✱. Exorcizo te per Deum vivum ✱, per Deum verum ✱, per Deum Sanctum, per Deum ✱ qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in Nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Do-

mine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices ❀, & benedicendo benedicas ❀, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in Nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Tunc pollice, & indice accipit de ipso sale, & immittit in os Catechumeni, dicens:

N. Accipe sal sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æternam. *R.* Amen.

Sacerdos. Pax tibi. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS Patrum nostrorum, Deus universæ Conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum *N.* respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem non diutiùs esurire permittas, quò minus cibo expleatur cœlesti, quatenùs sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper Nomini serviens. Perduc eum Domine, quæsumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Si plures sint, dicatur singulis: N. Accipe sal, &c. & *precedens Oratio*, Deus Patrum nostrorum, *in numero plurali.*

Qudd

Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, seu ex Idololatriis venerit ad Fidem, benedicto sale priusquam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem, dicens:

Oremus.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui es, qui eras, & qui permanes usque in finem, cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest: te supplices invocamus super hunc famulum tuum **N.** quem liberasti de errore gentilium, & conversatione turpissima; dignare exaudire eum, qui tibi cervices suas humiliat ad lavacri fontem, ut renatus ex aqua, & Spiritu Sancto, exspoliatus veterem hominem, induat novum, qui secundum te creatus est; accipiat vestem incorruptam, & immaculatam, tibi que Deo nostro servire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Si plures sint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali. Deinde Sacerdos dicat super masculinum tantum. Ora Electe, flecte genua, & dic, Pater noster.

Et Electus genu flexo orat, & dicit: Pater noster.

Et cum oraverit, & dixerit Pater noster. usque ad, sed libera nos à malo, inclusive, Sacerdos subjungit: Leva, comple orationem tuam, & dic, Amen. Et ille respondet: Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eum. Deinde Electo: Accede. Et Patrinus pollice signat eum in fronte, dicens:

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Et imponit manum super eum, & dicit:

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moyfi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israëli de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte; te quæsumus Domine, ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui similiter custodiat & hunc famulum tuum **N.** & perducatur eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

EXORCISMUS.

ERgo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto: & recede ab hoc famulo Dei, **N.** quia istum sibi Deus, & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: & hoc signum sanctæ Crucis ❀, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. **R.** Amen.

Sed si plures sint Catechumeni, hic & in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: Orate Electi, flectite genua, & dicite: Pater noster, &c. ut suprâ, usque ad finem præcedentis Exorcis-

cismi, qui incipit : Ergo maledicte Diabole. *Item super unum secundò dicat* : Ora Electe, flecte genua, & dic Pater noster, & reliqua ut supra Pag: 37. usque ad Orationem : Deus Abraham, *exclusivè* : deinde imponit manum super eum, & dicit :

Oremus.

DEus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum ; te invo-co super hunc famulum tuum **N.** qui Baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spiri-tuali regeneratione desiderat : accipe eum Domi-ne, & quia dignatus es dicere : Petite, & accipie-tis ; quærite & invenietis ; pulsate, & aperietur vobis ; petenti præmium porrige, & januam pan-de pulsanti, ut æternam cœlestis lavacri benedi-ctionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vi-vis, & regnas Deus, in sæcula sæculorum. R.
Amen.

EXORCISMUS.

Audi maledicte sathana, adjuratus per Nomen æterni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi Filii ejus, cum tua victus invidia tremens gemens-que discede, nihil tibi sit commune cum servo Dei **N.** jam cœlestia cogitante, renuntiatiuro tibi, & sæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da

igitur honorem adveniēti Spiritui Sancto, qui ex summa cœli arce descendens, pro turbatis fraudibus tuis, divino Fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitens noxiis præteritorum criminum liberatus servus Dei, gratias perenni Deo referat semper; & benedicat nomen sanctum ejus in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Item super unum masculum tertio dicat, ut supra: Ora Electe, flecte genua, & dic, Pater noster, &c. usque ad Orationem: Deus Abraham. exclusivè. Deinde imponit manum super eum, dicens:

EXORCISMUS.

EXorcizo te immunde spiritus in Nomine Patris ✱, & Filii ✱, & Spiritus Sancti ✱, ut exeas & recedas ab hoc Famulo Dei. **N** ipse enim tibi imperat maledicte, damnate, qui pedibus super mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

EXORCISMUS.

ERgo maledicte diabole, &c. *& repetit totum, ut supra habetur. Super feminam verò Sacerdos dicit: Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noster, &c. ut supra, usque ad Orationem, Deus Abraham, exclusivè. Deinde imponit manum super eam, & dicit:*

Oremus.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium: Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: te invoco Domine, super hanc Famulam tuam, ut eam custodire, & perducere digneris ad gratiam Baptifini tui. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde dicatur Exorcismus: Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, ut supra Pag: 38.

Si plures fuerint fœminæ Catechumenæ, hîc & in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: Orate Electæ, flectite genua, & dicite, Pater noster, & reliqua ut supra, usque ad Orationem. Deus Abraham, exclusivè. Deinde imponit manum super capita singularum, & postea in eodem numero plurali dicit Orationem: Deus cœli, Deus terræ, &c. & Exorcismum, Ergo maledicte diabole, &c. ut supra fol: 38.

Interim super unam tantum, secundò & tertio repetit: Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noster, & reliqua ut supra Paginâ 37. usque ad finem Orationis, Deus Abraham. Quâ finita imponit manum super caput ejus, & post tertiam signationem dicit:

EXORCISMUS.

EXorcizo te immunde spiritus, per Patrem ✱, & Filium ✱, & Spiritum ✱ Sanctum, ut ex eas & re-

& recedas ab hac famula Dei **N.** ipse enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quadrituanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo maledicte diabole, &c. *totum ut supra.*

Super utrumque sive masculum, sive fœminam, imponit manum super caput ejus, & dicit:

Oremus.

ÆTernam, ac justissimam pietatem tuam, deprecor, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æternæ Deus, Auctor luminis, & veritatis, super hunc famulum tuum **N.** ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & sanctifica, da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Si plures fuerint Electi, sive mares, sive fœminæ, præcedentes Orationes & Exorcismi dicantur in numero plurali, & in genere proprio, ut Superius dictum est.

His peractis, Sacerdos sinistrâ manu apprehendens dexteram Electi propè brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ, introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingredere in Sanctam Ecclesiam Dei, ut accipias benedictionem cœlestem à Domino Jesu Christo, & habeas partem cum illo, & Sanctis ejus. **R.** Amen.

*Si plures fuerint, dicat in numero plurali : In*gredimini in sanctam Ecclesiam Dei, &c. & *introducatur eos, ut supra.*

Et ingressus Electus, procumbit, seu prosternit se in pavimento, & adorat.

Deinde surgit, & Sacerdos imponit manum super caput ejus, & Electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam.

Ita etiam, si plures fuerint, omnes surgunt, & simul recitant.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: indè venturus est judicare, vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum comunem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur Nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et nè nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Amen.

*Tunc rursus Sacerdos imponat manum suam super caput Ele-
eti, & dicat:*

EXORCISMUS.

NEc te latet sathana, imminere tibi pœnas, im-
minere tibi tormenta, imminere tibi diem ju-
dicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui ventu-
rus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atque
universis Angelis tuis, præparatus sempiternus
erit interitus. Proinde damnate, atque damnan-
de, da honorem Deo vivo & vero; da honorem
Jesu Christo Filio ejus; da honorem Spiritui San-
cto Paraclyto, in cujus nomine atque virtute, præ-
cipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, ut
exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, **N.** quem ho-
die idem Deus & Dominus noster Jesus Christus,
ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, Fon-
témque Baptifinatis dono vocare dignatus est, ut
fiat ejus templum per aquam regenerationis in re-
missionem omnium peccatorum. In Nomine e-
jusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus
est judicare vivos & mortuos, & sæculum per
ignem. **R.** Amen.

*Similiter, si plures fuerint, imponit manum super capita sin-
gularum, & dicit eundem Exorcismum in numero multitudinis,
& genere suo.*

Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, & tangit aures & nares Electi, tangendo verò aurem dextram & sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est Adaperire; *deinde tangendo nares, dicit:* In odorem suavitatis, *& subdit:* Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei. *Deinde interroget Electum:*

Sacerdos.

Quid vocaris?

Electus resp: N.

Sacerdos.

N. Abrenuntias Sathanæ?

Resp:

Abrenuntio.

Sacer: Et omnibus operibus eius?

Resp:

Abrenuntio.

Sacer: Et omnibus pompis eius?

Resp:

Abrenuntio.

Tunc Sacerdos intingit pollicem dextræ manûs in Oleo sancto Catechumenorum, & inungit Electum primum in pectore, deinde inter scapulas in modum Crucis, dicens: Ego te lineo Oleo salutis ✠ in Christo Jesu Domino nostro, in vitam æternam.

R. Amen. Pax tibi. R. Et cum spiritu tuo.

Mox bombaciò, vel re simili tergit pollicem, & loca immunda. Et subjungit dicens: Exi immunde spiritus, & da hono-

Kněz.

Gal tobě rjlagj:

Odpo: N.

Kněz.

N. Odrjássli se

Satanásse:

Odpo:

Odrjám.

Kněz. Y wssch

stutkúw geho:

Odpo:

Odrjám.

Kněz. Y wssy Pey:

chy geho:

Odpo:

Odrjám.

Priester.

Wie wirst du genannt?

Antwort. N.

N. Widersagst du dem Teuffel?

Antwort. Ich widersage.

Priester. Und allen seinen Wercken?

Antwort. Ich widersage?

Priester. Und aller seiner Pracht?

Antwort. Ich widersage.

rem Deo vivo & vero. Fuge immunde spiritus, & da locum
Jesu Christo Filio ejus. Recede immunde spiritus, & da lo-
cum Spiritui Sancto Paraclyto,

*Quando plures sunt Electi, idem fit circa singulos eorum. Et
ducitur Electus ad Baptisterium: ubi, si ob aliquam causam non
habeatur, sive præparata non fuerit aqua baptismalis, fiat be-
nedictio Fontis, ut infra ponitur, & cum fuerit propè Fontem,
Sacerdos interrogat:*

Quis vocaris?

Resp: N.

Sacerdos.

Credis in Deum
Patrem Omnipoten-
tem Creatorem Cæ-
li & terræ?

Resp:

Credo.

Sacerd: Credis in
Jesum Christum Fi-
lium ejus unicum,
Dominum nostrū,
natum, & passum?

Resp:

Credo.

Sacerdos.

Credis in Spiritum
Sanctum, Sanctam
Ecclesiam Catholi-

Čak tobě čístagj ?

Čdpo: N.

Kněz.

Wěřissli w BŮ-
ha Otce Wřsemo-
haucyho / Stworíte-
le Nebe y Země ?

Čdpo:

Wěřjm.

Kněz. Wěřissli w
Gezisse Krysta Syna
geho gedineho Pá-
na nasseho / narozec-
neho a Wřizowa-
neho ?

Čdpo:

Wěřjm.

Kněz.

Wěřissli w Duchu
Swateho / Swatau

Wie wirst du ge-
nannt?

Antw: N.

Priester.

Glaubst du in
GOTT den Vatter,
allmächtige Schöpf-
fer Himmels und der
Erden?

Antw:

Ich glaub's.

Priester. Glaubst
du auch in JESUM
Christum seinen ein-
gebohrnen Sohn
unsern HERN, der
gebohren ist, und ge-
litten hat?

Antw:

Ich glaub's.

Priester. Glaubst
du auch in den Heili-
gen Geist, ein Heilige
cam,

cam, Sanctorum
communione, re-
missionem peccato-
rum, carnis resur-
rectionem, vitam æ-
ternam?

Resp:

Credo.

Quid petis?

Resp: Baptismum.

Sacer: Vis baptizari?

Resp:

Volo.

Cyrkew Obecnau /
Swatých Obcowá-
nj / Sějchúw Odu-
stěnj / Těla z Mrt-
wých wzkrěssenj / a
Žiwot wěčný?

Odp:

Wěřim.

Iterum interrogat, dicens:

Co žádáš?

Odpow: Křest.

Kněz. Chceš po-
křtěn býti?

Odpow: Chcy.

Catholische Kirchen,
Gemeinschaft der
Heiligen, Verge-
bung der Sünden,
Auferstehung des
Fleisches, und ein e-
wiges Leben?

Antw:

Ich glaube.

Was begehrt du?

Antw: Die Tauff.

Priester. Willst du
getauft werden?

Antw: Ich will.

*Tunc Patrimo vel Matrino, vel utroque (si ambo admittan-
tur) admotâ manu, tenente, seu tangente Electum vel Electam,
aperto capite, & laxatis à collo vestibis inclinatum, Sacerdos
vasculô, vel urceolô, haurit Aquam Baptismalem de Fonte, &
cum ea sub trina supra caput in modum Crucis infusione, bap-
tizet Electum, seu Electam, in Nomine Sanctæ Trinitatis, sic
dicens:*

Ego te baptizo in Nomine Patris, ✠ fundat primò, & Fi-
lii, ✠ fundat secundò, & Spiritus Sancti, ✠ fundat tertio.

*Si aqua, quæ ex capite baptizati defluit, non dilabitur in sa-
crarium Baptisterii, recipiatur in subjecta aliqua pelvi, & in
illud postmodum projiciatur. Cùm plures sunt Electi singilla-
tim singuli interrogantur, & baptizantur ut supra. Si sunt
mares & fœminæ, primùm mares, deinde fœminæ. Verùm
si probabiliter dubitetur, an Electus fuerit aliàs baptizatus, di-
cat Sacerdos:*

48
Si non es baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris, ✠
& Filii, ✠ & Spiritus Sancti ✠.

*Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum in sacrum Chrif-
ma, & perungat verticem Electi in modum Crucis, dicens:*

DEUS omnipotens, Pater Domini nostri Jesu
Christi; qui te regeneravit ex aqua & Spiri-
tu Sancto, qui que dedit tibi remissionem omnium
peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in
eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam æter-
nam. **R.** Amen.

R. Pax tecum. **R.** Et cum spiritu tuo.

*Tunc bombaciò, vel re simili pollicem tergit, & imponit ca-
piti Electi chrismale, seu candidum linteolum, & dat illi vestem
candidam dicens:*

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante
tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam.

R. Amen.

*Et Electus deponit priores vestes, & induitur novis albi co-
loris, vel saltem exteriore candida, quam à Sacerdote accepit.
Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candelam accensam in manu
dextra, dicens:*

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi
Baptismum tuum; serua Dei mandata, ut, cum Dominus ve-
nerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula cœlesti, in vitam
æternam. **R.** Amen.

*Ipsè verò Neophytus eundem cereum accensum manibus te-
neat usque in finem, præterquam dum confirmatur.*

Eòdem modò si plures fuerint, fit super singulis.

Postea dicat N. Vade in pace, & Dominus sit tecum. R.
Amen.

Si adsit Episcopus qui id legitime præstare possit, ab eo Neophyti Sacramentò Confirmationis initiantur: deinde si hora congruens fuerit, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, & Sanctissimam Eucharistiam devotè suscipiunt.

Si verò ob Baptizandorum multitudinem, ut in India & novo Orbe quandoque contingit, in singulorum Baptismo præscripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel, si urget necessitas, omittantur.

Ordo supplendi omiſſa super Baptizatum.

CUm urgente mortis periculo, vel aliâ cogente necessitate, si-
ve parvulus, sive adultus, sacris Precibus ac cæremoniis prætermiſſis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omiſſa omnia suppleantur: idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus.) seu adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est. Excepto quòd interrogatio, an velit baptizari, formæque Baptismi, & ablutio prætermittuntur, & quedam Orationes, & Exorcismi suo quique loco immutati, ut infrà, dicuntur. **Rituale Romanum;**

Sacerdos igitur antequam imittat salem in os baptizati, manum super caput ejus imponens, dicit:

Oremus.

OMnipotens sempiternæ Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris super hunc famulum tuum **N.** quem dudum ad rudimenta Fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos sathanæ, quibus fuerat colligatus: aperi

ei Domine, januam pietatis tuæ, ut signô Sapien-
tiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum foëtori-
bus careat, & ad suavem odorem præceptorum
tuorum, lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, &
proficiat de die in diem, ut idoneus sit frui gratiâ
Baptismi tui, quem suscepit, falis perceptâ medi-
cinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*Deinde posteaquam modicum falis inmisit in os baptizati, di-
cens:* Accipe salem sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æter-
nam. R. Amen.

Oremus.

DEUS Patrum nostrorum, Deus universæ Con-
ditor veritatis, te supplices exoramus, ut
hunc famulum tuum **N.** respicere digneris pro-
pitius, & hoc pabulum falis gustantem non
diutiùs esurire permittas, quò minùs cibo exple-
atur cœlesti, quatenus sit semper spiritu fervens,
spe gaudens, tuo semper Nomini serviens, &
quem ad novæ regenerationis lavacrum, perdu-
xisti, quæsumus Domine, ut cum fidelibus tuis
promissionum tuarum æterna præmia consequi
mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*Post hæc factô signô Crucis in fronte baptizati, dictisque illis
verbis:* Et hoc signum Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus,

tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Manu super caput ejus impositâ, dicit:

Oremus.

ATernam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuum **N.** ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, & sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus sit frui gratiâ Baptismi tui, quem suscepit: teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut dignus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

In Baptismo autem adultorum præter illa quæ suprâ notata sunt, quando suppleantur omiſſa, hæc mutari debent, primum in exorcismo: Audi maledicte sathana, ubi dicitur (habita-culum perficiat) dicatur, habitaculum perfecit. Deinde in Exorcismo, nec te latet, ubi dicitur (ut fiat) dicatur, ut fieret.

Ritus servandus, cùm Episcopus baptizat.

S*Episcopus, vel S. R. E. Cardinalis, parvulos, vel adultos baptizare voluerit, parantur & servantur omnia, ut superius de ordine Baptismi dictum est, atque hæc præter eâ, quæ infrâ notantur. Rituale Roman:*

Assint Capellani, vel alii Presbyteri, & Clerici superpelliceis induti, qui ei assistant, ac ministrent.

Ipse verò super rochetum, sive superpelliceum, si est Regularis accipiat albam & cingulum, & stolam, & pluviale violacei coloris, ac mitram; atque ità paratus cum ministris procedat ad Baptismi ministerium. Et dum interrogat N. Quid petis ab Ecclesia Dei? ac dum facit reliquas interrogationes sedet cum mitra: cum verò exsufflat dicendo: Exi ab eo imunde spiritus; surgit cum mitra. Rursus sedet, cum signat Catechumenum Signò Crucis in fronte, & in pectore, vel dicit: Accipe signum Crucis, &c. & cum dicit Orationes quæ præcedunt, vel sequuntur benedictionem salis, surgit deposità mitrâ; similiter cum ipsum salem benedicit. Cum autem salem benedictum mittit in os baptizandi, mitram accipit, & sedet. Cum verò legit Exorcismos, & dum salivâ aures & nares Catechumeni tangens, dicit: Ephphêta: ac dum introducit eum in Ecclesiam, stat cum mitra, cum autem dicit: Credo in Deum Patrem, & Pater noster, super Catechumenam stat sinè mitra. Sed cum nomen quærit, & interrogat N. Abrenuntias sathanæ, &c. & baptizandum oleò sacrò in pectore & inter scapulas inungit, sedet cum mitra; quò factò accipit stolam, & pluviale albu. Et cum rursus interrogat de Fide, Credis in Deum, &c. Vis baptizari, &c. & cum baptizat per infusionem, sedet cum mitra.

Cum demum Chrismate verticem baptizati linat, & dat ei vestem candidam, & candelam accensam, ac dicit: Vade in Pace, &c. sedet cum mitra.

Benedictio Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschæ & Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur.

P*rimùm lavatur, & mundatur vas Baptisterii, deinde limpida aqua repletur; tum Sacerdos cum suis Clericis, vel*

etiam alius Presbyteris, Cruce & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo, & incenso, & cum vasculis Chrismatis, & Olei Catechumenorum, descendit ad Fontem, & ibi, vel ante Altare Baptistæ, dicit Litanias ordinarias, prout habetur infra post Septem Psalmos Pœnitentiales.

Et ante ✠. Ut nos exaudire digneris, dicat, & secundo repetat sequentem versum:

Ut Fontem istum ad regenerandam tibi novam prolem benedicere, ✠ & consecrare ✠ digneris. Te rogamus audi nos.

Possunt etiam dici Litanie breviores, ut in Missali in Sabbato Sancto, & dicto ultimo Kyrie eleison.

Sacerdos dicat Pater noster, & Credo in Deum, &c. omnia clara voce: quibus finitis, dicat: ✠. Apud te Domine est fons vitæ. R. Et in lumine tuo videbimus lumen.

✠. Domine exaudi Orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

✠. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O remus.

OMnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto Sacramentis, & ad recreandos novos populos, quos tibi Fons Baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte: ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministeriò, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum

Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

EXORCISMUS AQUÆ.

EXorcizo te creatura aquæ per Deum vivum ❀, per Deum verum ❀, per Deum sanctum ❀, per Deum qui te in principio, verbô separavit ab arida, cujus super te Spiritus ferebatur, qui te de paradiso manare jussit.

Hic manu aquam dividat, & deinde de ea effundat extra marginem Fontis versùs quatuor Orbis partes, prosequens.

Et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, qui te in deserto amaram per lignum dulcem fecit, atque potabilem, qui te de Petra produxit, ut populum quem ex Ægypto liberaverat, siti fatigatum recrearet. Exorcizo te, & per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ, signo admirabili suâ potentiâ convertit in vinum, qui super te pedibus ambulavit, & à Joanne in Jordane in te baptizatus est, qui te unâ cum Sanguine de latere suo produxit, & Discipulis suis jussit, ut credentes baptizarent in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, aqua, quæ lavat sordes, & mundat peccata. Tibi igitur præcipio omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, ut qui in ipsa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eos Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in Nomine ejusdem Domini nostri Jesu

Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Oremus.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, aquarum spiritualium Sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris, & super has aquas abluendis, & purificandis hominibus præparatas, Angelum sanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatûque deterfo, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritûs, &c.

Tunc sufflet ter in aquam versùs tres partes, secundùm hanc figuram: † deinde imponit incensum in thuribulo, & Fontem incensat. Postea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, clarâ voce dicit:

Sanctificetur, & fœcundetur Fons iste Oleo salutis renascentibus ex eo in vitam æternam. In Nomine Patris ❀, & Filii ❀, & Spiritûs ❀ Sancti. *R.* Amen.

Deinde infundit de Chrismate, modò quò suprâ, dicens:


Infusio Chrismatis Domini JESU Christi, & Spiritûs Sancti paraclyti, fiat in Nomine Sanctæ Trinitatis. *R.* Amen.

Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti, & Chrismatis, & de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit:

Commixtio Chrismatis Sanctificationis, & Olei unctionis, & aquæ baptismatis pariter fiat. In Nomine Patris ✠, Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti. *R.* Amen.

Tum depositâ ampullâ, dextera manu Oleum Sanctum, & Chrisma infusum miscet cum aqua, & spargit per totum Fontem. Deinde medullâ panis manum tergit, & si quis baptizandus est, eum baptizat, ut supra. Quod si neminem baptizat, statim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium.





Wagner & Grosse del.
Birckhart sculp.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Quomodo Parochi suos Parochianos instruere debeant, qui Sacramentum Confirmationis suscipere volunt. *Pontific: Roman:*

*S*olus Episcopus Confirmationis ordinarius Minister est, Parochi autem Officium, eos, (quorum curam habet) instruere, ut post Baptismum hoc Sacramentum accedant, quò, mediante Sancti Spiritus gratiâ, ad Fidei certamina roborentur.

Quolibet vitæ tempore licet illud suscipere; laudabilius tamen est, in pueritia cum aliqua cognitione discreta, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ut meminerint se confirmatos esse; Nec ideò prohibetur aliquis ante septennium hoc Sacramentum suscipere.

Adulti ad hoc Sacramentum accedentes, debent, (si fieri possit) esse jejuni, & peccata sua confiteri, vel saltèm de peccatis commissis conteri.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Christianæ Fidei rudimenta non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

Unusquisque confirmandus Episcopo præsentetur per Patrum, qui tamen debet esse confirmatus. Nec Pater, aut Mater, Maritus, aut Uxor, confirmandum suscipere possunt.

Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio, impediens Matrimonium contrahendum, & dirimens contractum; quæ confirmantem, & confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus præsentet nisi unum, aut duos, non plures.

Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneant in brachiis dextris. Adulti verò, seu alii majores, ponant pedem suum super dextrum Patrini sui. Et ideò neque masculi fœminis Patrini; neque fœminæ masculis Matrinx esse deberent.

Confirmatis debet ligari frons, & sic manere, quoadusque Chrisma deficcetur, vel extergatur, quod laudabiliter fiet per Sacerdotes, sive Religiosos qui fasciolam lavabunt, & aquam in locum mundum effundent.

Proinde, unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput.

Nullus Confirmatus discedat, nisi Benedictione acceptâ, quam Pontifex post omnium Confirmationem dabit.

Moneant Parochi Patrinos, ut instruant Confirmatos bonis moribus; ut fugiant mala, & faciant bona: & doceant eos Orationem Dominicam: Salutationem Angelicam, & Symbolum Fidei; quia ad hoc sunt obligati.





DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

SANCTUM Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratia Dei restituendos, à Christo Domino institutum, eò diligentius administrandum est, quò plura requiruntur ad illud rectè dignèque tractandum, ac suscipiendum. Cùm autem ad illud constituendum tria concurrant: Materia, Forma, & Minister: illius quidem remota materia sunt peccata; proxima verò sunt actus pœnitentis: nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Forma autem illa absolutionis verba: *Ego te absolvo, &c.* Minister denique est Sacerdos, habens potestatem absolvendi, vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque defuit Conf. flarius; quilibet Sacerdos potest à quibuscunque censuris, & peccatis absolvere. In ejus ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum Sigillo secretæ confessionis, sub exacto, perpetuòque silentio. Quibus, & aliis ad id opportunis ut optimè sint instructi, omni studio curare debent Confessarii.

In primis meminerit Confessarius, se judicis, pariter & medici personam sustinere, ac Divinæ Justitiæ simul, & misericordiæ Ministrum à Deo constitutum esse; ut tanquam arbiter inter Deum & homines, honori Divino, & Animarum saluti consulat.

Ut ergo rectè judicare queat, discernens inter lepram, & lepram, & tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare sciat; quantum potest maximam ad id scientiam, atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Authoribus, præsertim è Catechismo Romano, & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

Sciat casus, & censuras Sedi Apostolicæ, & Ordinario suo reservatas, & suæ cujusque Ecclesiæ Constitutiones; easque diligenter observet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem rectè nôsse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc Ministerio ita procedat, ut infra præscribitur

Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

SACERDOS ad audiendam confessionem vocatus, promptum, facilèmq; se præbeat; ac priùs quam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rectè, sanctèque obeundum, Divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cùm incidit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat: quæ sedes patenti, conspicuo, & apto Ecclesiæ loco posita; crate perforatâ inter pœnitentem, & Sacerdotem sit instructa.

Superpellicedò, & stolâ violacei coloris utatur, prout temporis, vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur, ut quæ decet humilitate mentis & habitus accedat, & flexis genibus signò Crucis se inuniat.

Mox Confessarius inquirat de illius itatu (nisi aliter notus fuerit) & quam pridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam adimpleverit, num ritè atque integrè aliàs confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet priùs diligenter discusserit?

Quòd si pœnitens aliquà censurâ, vel casu reservato sit ligatus, à quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi priùs obtentâ facultate à Superiore.

Si verò Confessarius pro personarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Christianæ Fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis Fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Tum pœnitens confessionem generalem latinâ, vel vulgari lingua dicat, scilicet: *Confiteor, &c.* vel saltèm utatur his verbis: *Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi Pater.* Peccata sua exinde confiteatur; adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote; qui confitentem non reprehendet, nisi firmità (ut dicitur) confessione: neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid meliùs intelligere: proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter suggerat, ut omnia peccata sua ritè & integrè confiteatur, remotâ stultâ illâ quorundam verecundiâ, quâ præpediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, nè curiosis, inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexûs, vel alios, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, nè scandalum pitiantur, indèque peccare discant.

Deinam auditâ confessione, perpensens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones prout opus esse viderit, paternâ charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendam, ac meliùs instituentiam inducet, remediâque peccatorum tradet.

Postremò, salutarem & convenientem Satisfactionem, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, injungat, habitâ ratione Status, Conditionis, Sexûs, & ætatis, & item dispositionis pœnitentium; videâtque nè pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, nè si fortè peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id verò ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, & firmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat: veluti avaris elemosynas, libidinosi jejunia, vel alias carnis afflictiones; superbis humilitatis officia, desidiosus devotionis studia. Rariùs autem, vel seriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpè, puta semel in mense, vel certis diebus Solemnibus consistantur, & si expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent: neque à pœnitentibus quicquam tanquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant.

Vi deat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio: nè absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant Signa doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt restituere, aut

proximam peccandi occasionem deferere, aut ullo modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt: aut qui publicum Scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant: neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Si verò quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, & censuris quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio.) Sed priùs, si potest, cui debet, satisfaciat, ac si periculum evaserit, & aliqua ratione Superiori, à quo aliàs esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primùm poterit, coram eo se sistat, quidquid debet præstiturus.

Quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, vel loquela, ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porrò Sacerdos, ægris non esse injungendam gravem, aut laboriosam pœnitentiam: sed indicendam tantùm illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliquâ oratione, aut levi satisfactione imposita, & acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

Tandem ut noverint Sacerdotes, in quibus Casibus ligata remaneat concessa Auctoritas absolvendi, videant in Appendice subnexa Casus in Bulla Cœnæ reservatos Summo Pontifici; & alios reservatos Episcopis.

ABSOLUTIONIS FORMA.

Juxta Rituale Romanum.

CUm igitur pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ, primò dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen.

Deinde dexterâ versùs pœnitentem elevatâ, dicit: Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum, tribuat tibi Omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

Deinde, Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Si pœnitens sit Laicus, omittitur verbum suspensionis.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

*In Confessionibus autem frequentioribus, & brevioribus omit-
ti potest* Misereatur, satis erit dicere: Dominus noster Jesus
Christus, &c. *ut supra usque ad illud* Passio Domini.

*Urgente verò aliqua gravi necessitate in periculo mortis, bre-
viter dicere poterit:* Ego te absolvo ab omnibus censuris, &
peccatis, in nomine Patris, &c.

De Absolutione ab excommunicatione in foro exteriori. *Juxta Ritual: Rom:*

S*i potestas absolvendi ab excommunicationis Sententia Sacer-
doti commissa fuerit à Superiore, & in mandato certa forma
sit præscripta, illa omnino servanda est; si verò in manda-
to, seu commissione dicitur, in forma Ecclesiæ consueta absolvat:
Hæc servanda sunt:*

*Primo, ut Excommunicatus ei, ob cujus offensam in excom-
municationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quòd si tunc
non possit, sufficientem cautionem præbeat, aut saltèm, si eam præ-
stare non potest, juret se, cum primum poterit, satisfacturum.*

*II. Si crimen, ob quod in Excommunicationem incidit, sit gra-
ve, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ,
quæ illi fient pro tali causa, ac præcipuè: nè deinceps delinquat
contra illum Canonem vel Decretum, contra quod faciendo, Cen-
su non incurrit.*

Denique hunc absolvendi Ritus observabit:

*Pœnitentem coram se utroque genu flexo, in humero (si Vir-
fuerit) usque ad camisiam exclusivè denudato, Virgâ aut Funi-
culis, sedens leviter percutit, dicendo totum Psalmum: Miserere
mei*

mei Deus, &c. *cum* Gloria Patri, &c. *Deinde surgit, & aperto capite dicit*: Kyrie eleison. *Christe eleison.* Kyrie eleison. *Pater noster.* ✠. Et nē nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo, ✠. *Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) Domine.* *R.* Deus meus sperantem in te, ✠. *Nihil proficiat inimicus in eo (vel in ea, R.* Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei, ✠. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* *R.* A facie inimici, ✠. *Domine exaudi orationem meam.* *R.* Et clamor meus ad te veniat, ✠. *Dominus vobiscum.* *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus,

DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Mox sedet, & cooperto capite dicit:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (*vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris*) mihi commissâ, absolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (*vel incurrisse declaratus es*) propter tale factum, *vel* causam, &c. & restituo te communioni & unitati Fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ, in Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti.

Quòd si Sacerdoti nulla sit à Superiore præscripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiæ communi vel consueta absolvat, tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam ceremoniam

niam & Preces adhibeat, at verò si res non fuerit adeò gravis, absolvere poterit, dicens: Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (si à Papa fuerit delegatus) vel Reverendissimi Episcopi N. (vel talis Superioris) mihi concessâ, absolvo te, &c. ut supra.

In foro autem interiori Confessarius, habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra præscriptam absolutione sacramentali.

Ritus absolvendi Excommunicatum jam mortuum.

Juxta Rituale Romanum.

S*I quis Excommunicatus ex hac vita decedens dederit signum contritionis, ne Ecclesiastica carcat sepulturâ, sed Ecclesia suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo:*

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur & absolvatur, ut infra, deinde absolutum in loco sacro sepeliatur.

Si verò fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepeliatur, sed si commodè exhumari non potest, locus sepulture verberetur, postea absolvatur.

Quòd si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus, sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphon:

Exultabunt Domino ossa humiliata. Psalmus. Misere mei Deus, &c. *Quò factò, absolvatur, dicendo: Auctoritate mihi concessâ, Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi, vel incurrisse declaratus es propter tale factum, & restituo te communioni Fidelium. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Deinde dicatur Psalmus. De profundis. In fine. Requiem æternam dona ei Domine. R. Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. V. Et nè nos inducas in tentationem. R. Sed

libera nos à malo. *℣.* A porta inferi. *℞.* Erue Domine animam ejus. *℣.* Requiescat in pace. *℞.* Amen. *℣.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DA quæsumus Domine animæ famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* Amen.

De Modo absolvendi à Suspensione, vel ab Interdicto, extra vel intrà Sacramentalem Confessionem.

Juxta Rituale Romanum;

S*acerdoti sit cõmissa facultas absolvendi aliquem à Suspensione, vel Interdicto, quamvis nulla verba sint præcipue determinata, uti poterit hæc formulâ:*

Pœnitens dicat: Confiteor Deo, &c.

Sacerdos. Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.

Auctoritate mihi ab **N.** traditâ, Ego absolvo te à vinculo Suspensionis, *vel*, Interdicti, quam *vel* quod propter tale factum *vel* causam incurristi, *seu* incurrisse declaratus es. In Nomine Patris, **✠** & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Si verò Confessario, sive in foro conscientiæ, sive extra, data est potestas dispensandi super Irregularitate, tunc postquam absolverit à peccatis, addat consequenter:

Et eadem auctoritate dispenso tecum super Irregularitate, *vel* Irregularitatibus, (*si sunt plures*) in quam, *vel* in
quas

08 *Rituale Ordinace*
quas ob talem, *vel* tales causas (*cas exprimendo*) incurristi,
& habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum, & Of-
ficiorum tuorum. In Nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus
Sancti, Amen.

*Si nullum habeat Ordinem, dicatur: Habilem reddo te ad
omnes Ordines suscipiendos, vel etiam ad alia juxta teno-
rem mandati.*

*Quod si necesse sit titulum beneficii restituere, & fructus ma-
le perceptos condonare, subjungat:*

Et restituo tibi titulum, (*seu* titulos) beneficii, (*seu* be-
nificiorum) & condono tibi fructus male perceptos, In No-
mine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

*Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis
sue terminos excedat.*



APPENDIX
 DE CASIBUS RESERVATIS,
 BULLA CŒNÆ
 DOMINI,

*Continens casus præcipuos Summo Pontifici reservados,
 à quibus Parochi ordinariè neminem absolvere possunt.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis: Patris,
 & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS
 SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.



Astoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipubl: pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris Officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ Fidei, sinè qua impossibile est placere DEO, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda, maxime elucet. Nimirum, ut Fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris; sed omnes occurrant in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate & communionem lædant, aut inter se alteri offensionem præbeant, sed potiùs in vinculo Charitatis conjuncti, tanquam unius Corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ Unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ità divinâ gratiâ adjutrice, sic præsentis

vitæ quiete gaudeant, ut futurâ quoque Beatitudine perfriuantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices, Prædecessores nostri, hodiernâ die, quæ anniversariâ Dominicæ Cœnæ commemoratione sollemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ Disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma, per Ministerium Summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animarum salutem, sollemniter exercere consueverunt.

In Hæreticos, eorum Fautores, Libros legentes, & Schismaticos, qui ab obedientia Summi Pontificis recedunt.

I.

Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm Fidei inviolatam integritatem, publicam Pacem, & Justitiam, Deo Auctore, tueri, vetustum & solennem hunc morem sequentes, excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostrâ, quoscunque Hussitas, Wiclephistas, Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Hugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes & singulos alios hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cujuscunque sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet, defensores, ac eorundem libros hæresin continentes, vel de religione tractantes, sinè Auctoritate nostra & Sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè vel occultè, quovis ingenio, vel colore: nec non Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

In appellantes à Papa ad futurum concilium, eorumque fautores.

II.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint, & interdicimus Universitates, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum concilium appellantes: nec non eos, quorum auxiliò, vel favore appellatum fuerit.

In Pyratas, eorum receptatores, & fautores.

III.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyratas, Cursarios, & Latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare nostrum à monte Argentario, usque ad Terracinam discurrentes, eos, qui in illo navigant, deprædantur, mutilant, interficiunt, rebûsve & bonis suis spoliant, omnésque receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel favorem.

In rapientes naufragorum Christianorum bona, aut scienter ab aliis rapta accipientes.

IV.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcunque navibus tempestate in diversum (ut dici solet) jactatis, naufragium passis, aut etiam submersis, sive in ipsis navibus, sive ex eis dilapsa, & in mari vel littore inventa, cujuscunque generis bona, tam in nostris Thyreni, & Adriatici, quàm in quibuscunque maris regionibus, & littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta, seu accepta scienter receperint: ità, ut nec etiam ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

In imponentes nova Pedagia, & Gabellas, vel eas augentes.

V.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, ad id potestatem non habentes, imponunt, vel augent; aut imponi vel augeri prohibita exigunt.

In falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes à quocunque auctoritatem habente signatas, aut falso fabricantes literas Apostolicas.

VI.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, aut sub nomine ejusdem Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum, signantes supplicationes easdem. Extendentes Constitutionem sæl: rec. Innocentii Papæ III. quæ incipit: Ad falsariorum, cum omnibus pœnis in ea contentis, ad falsificantes, seu mutantés

supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas & datas; sine nostra, aut Datarii nostri licentia.

In deferentes arma, & alia belli usui apta ad Turcas, & Reipublicæ Christianæ statum concernentia in damnum Christianorum nuntiantes.

VII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniâque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canabem, funes tam ex ipso canabe, quàm ex quacunque alia materia, & ipsam materiam, aliâque hujusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christiani nominis inimicis: Nec non illos, qui per se, vel alium, seu alios, de rebus Christianæ Reipublicæ statum concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, & concessionibus quibuscunque Principibus, Rebuspubl: & Dominis sive privatis personis, per nos, & Sedem prædictam hæctenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

In impediētes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

VIII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediētes, sive invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curix necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, nè ad Romanam Curiam adducantur, vel deferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, vel qui talia fieri faciunt, vel facientes defendunt, cujuscunque fuerint ordinis, præminentix, conditionis & status, etiamsi Pontificali vel Regali, aut aliâ quâvis Ecclesiasticâ, vel mundanâ præfulgeant dignitate.

Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, suâ, aut aliorum operâ lædentes, & sine jurisdictione vexantes in Curia commorantes.

IX.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, suâ vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt, detinent; nec non illos omnes qui jurisdictionem ordinariam vel delegatam, à nobis, vel à nostris Judicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

In eos, qui ex proposito Romipetas offendunt.

X.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu depradantes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem causâ devotionis; seu peregrinationis, & profus omnes alios ad Sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel favorem.

In offendentes Sac: Rom: Eccl: Cardinales, & alios Prælatos.

XI.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes, S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos; Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem ejicientes à suis Diœcesibus, Terris, seu Dominiis, eaque mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium vel favorem.

In eos, qui ad Romanam Curiam recurrentes offendunt, aut executionem literarum Apostolicarum impediunt, vel ad gratiam impetrandam accedentes prohibent.

XII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium, seu alios, quascunque personas Ecclesiasticas, vel Sæculares ad dictam Curiam, super eorum causis & negotiis recurrentes, illasque in eadem Curia prosequentes aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant, vel qui per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur cujuscunque præminentia & dignitatis fuerint.

Appellantes à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, ad laicam potestatem.

XIII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares cujuscunque Dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam quàm justitiam concernentium: nec non citationum, inhibitionum, sequestrationum, monitoriorum, processuum,

executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuntiis, Præsidentibus Palatii nostri, & Camerae Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint; aut aliàs ad curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria & alia prædicta, capi, & retineri faciunt: quivè illa simpliciter, vel sinè eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut nè Tabelliones & Notarii super hujusce modi literarum & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & sub-executores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliunt, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè vel occultè: quivè aliàs quibuscunque personis in genere, vel in specie, nè pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

In executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes, ad gratias impetrandas accedentes.

XIV.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui per se, vel alios auctoritate propria, ac defectò, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu, Beneficiales, & Decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illarumque cursum & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam Judices interponunt; quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum, citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quo-

modolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum, præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos (ut dicunt) supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariorum, Conciliorum, Parliamentorum, Cancellarii, Vice-Cancellarii, Consilarii, Ordinarii, vel Extraordinarii, quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel aliâ quâcunque præfulgeant Dignitate, aut Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

In Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas ad sua Tribunalia trahunt: quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, vel in aliquo lædunt,

XV.

Quævis ex eorum prætenso Officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad eorum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Concilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè vel indirectè, quovis quæsito colore. Nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causâ, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu literarum Apostolicarum usu non receptorum, seu revocatarum, vel cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinariis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu Nollris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum Juribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè, præjudicatur.

In impedientes Prælatos, nè suâ Jurisdictione utantur, quique illorum, & delegatorum Judicia eludentes, ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

XVI.

Nec non qui Archi-Episcopos, Episcopos, aliòsque superiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios, quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causâ, directè vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos & affines impediunt, quò minus suâ jurisdictione Ecclesiasticâ contra quoscunque utantur, secundum quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ

sticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; Ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum, quorumcunque sententias, ac decreta, aut alias fori Ecclesiastici Judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab iis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinariis, aut Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant; eos quoque qui hæc decernunt, & exequentur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, vel favorem in eisdem.

In usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum Jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

XVII.

Quive Jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causâ, sine Romani Pontificis, vel eorum, ad quos de jure pertinent, expressa licentia, sequestrant.

In imponentes Decimas, & onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

XVIII.

Quive collectas, decimas, tales, præstantias, & alia onera, Clericis, Prælatibus, & aliis Personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt, Nec non, qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem, aut votum seu suffragium, palam vel occultè, præstare non verentur, cujuscunque sint præminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali vel Regali præfulgeant Dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ & alii Potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris, quoque modo præsidentes, aut quavis etiam Pontificali Dignitate insigniti: Innovantes Decreta super his per Sacros Canones, tunc in Lateranensi novissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis,

Contra Judices sæculares in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas Personas, se interponentes.

XIX.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Judices, quocunque nomine vocentur, ac Cancellarios, Notarios, Scribas, ac Executores, & Subexecutores, & alios quoquo modo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas banniendo, processando, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ; quique ejusmodi licentiam, ad Personas & Causas non expressas, extendunt, vel alias illâ perperam abutuntur; etiamsi talia committentes fuerint Consilarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati, &c.

In occupantes loca, & terras, Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam Jurisdictionem usurpantes.

XX.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, sub quocunque titulo, vel colore, defactò occupant, detinent, vel hostiliter destruunt, vel invadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut invadere hostiliter præsumperint, in totum vel in partem Almam Urbem, Regnum Sicilia, Insulas Sardinia & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia: Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras & Loca, ac Terras specialis Commissionis Arnulphorum, Civitatesque Nostras: Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avinionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel Jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecta: quique supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem defactò usurpare, perturbare, retinere, & vexare, variis modis præsumunt: nec non Adhærentes, Fautores, & Defensores eorum, seu illis Auxilium, Consilium, vel Favorem quomodolibet præstantes.

Reservatio absolutionis Romani Pontificis.

XXI.

Ceterum à prædictis Sententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc (nisi de

stano Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo Cautione præstita,) absolvi possit, etiam prætextu quarumvis Facultatum & Indultorum, quibuscunque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, & Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel aliâ majori Dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis; nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, & cujusvis Concilii Decreta, verbò, literis, aut aliâ quâcunque Scripturâ in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum & innovandorum.

Contra absolventes in supra dictis Casibus.

XXII.

Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis Beneficium impendere defactò præsumperint, eos excommunicationis Sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Absolutio Romani Pontificis; etiam solemnis quos non comprehendat.

XXIII.

Declarantes, ac protestantes, quamcunque Absolutionem etiam solenniter per nos faciendam, prædictos Excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito, ulterius similia non committendi, destiterint; Ac quo ad eos, qui contra libertatem Ecclesiasticam, ut præmittitur, Statuta fecerint, nisi prius Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, & Decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archivis, seu Capitularibus locis, aut Libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quin etiam per hujusmodi Absolutionem, aut quoscunque alios Actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantumcunque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunque Juribus Sedis Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ undequaque & quomodocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, seu debere.

Quòd non obstant Privilegia, aut quævis Apostolica indulta, quò minus quis in hoc Processu includatur.

XXIV.

Non obstantibus Privilegiis, Indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus, & aliis cujuscunque Ordinis, Status, vel Conditionis, Dignitatis & præminentia fuerint; etiamsi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundanâ præfulgeant Dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu Locis, à prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam Contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis Clausulis, etiam derogatoriis concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac de Ordinibus, Locis, Nominibus propriis, Cognominibus, Dignitatibusque eorum mentionem; Nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet Observantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros Processus ac Sententias, quò minus includantur, in eis, se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia, quo ad hoc, eorum omnium tenorem, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentiliter pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Quòd appensio Processus in Valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum ignorantia aut excusationis locum non relinquat.

XXV.

UT verò præsentis nostri Processus ad communem omnium notitiam facilius deducantur, Chartas, seu Membras Processus ipsos continentes, in Valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi fecimus, quæ Processus ipsos quasi sonorò præconiò, & patulò indicio publicabunt, ut ii, quos Processus hujusmodi contingunt, quòd ad ipsos non pervenerint, aut quòd ipsos ignoraverint, nullam possint Excusationem prætere, aut ignorantiam allegare: cum non sit verisimile, ad remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, ut Processus ipsi, ac præsentis literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eò fiant notiora, quòd in plerisque Civitatibus & Locis fuerint publicata, universis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, & Locorum

rum Ordinariis, Prælati & Rectoribus ubilibet constitutis, per hæc nostra Scripta committimus, & in virtute sanctæ Obedientiæ districtè præcipiendò mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentem literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis, major Populi multitudo ad Divina convenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Quòd Confessarii harum literarum transumptum habeant.

XXVI.

Cæterum hortamur eosdem universos, & singulos Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, aliòsque locorum Ordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, nec non Rectores, cæteròsque curam animarum exercentes, ac Presbyteros sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendum Confessiones quavis auctoritate deputatos, ut transumptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & Sigillò Judicis Ordinarii Romanæ Curia, vel alterius personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud ubiq; locorum adhibendum fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ Excommunicationis, Anathematizationis, Interdicti, Declarationis, Protestationis, Sublationis, Revocationis, Commissionis, Innodationis, Mandati, Hortationis & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Annò Incarnationis Dominicæ, Millesimò Sexcentisimò sextò, Decimò Calend: Aprilis, Pontificatùs nostri Annò primò.

M. Vestrius Barbianus.

CASUS PONTIFICI SUMMO RESERVATI.

**A quibus Parochi neminem citra specialem Facultatem
absolvere possunt.**

Interficiens, aut verberans Clericum, si læsio sit atrox & enormis. Persequens Episcopum, vel majorem, & Prælatum.
Qui aliquò externò signò suam heresim prodit, aut hæreticis ab Ecclesia damnatis, circa suas perversas opiniones favet, eosque defendit.

Qui libros hereticorum scienter legit, aut domi servat, citra specialem dispensationem.

Qui à Romani Pontificis Obedientia, & Ecclesia Catholica unitate, pertinaciter seipsum segregat.

Falsificans literas Apostolicas, & impediens Jura, vel libertatem Curia Romana.

Offendens Ecclesiasticam libertatem: ut qui effringit & spoliat Loca sacra, vel qui contra Ecclesie Jura & Privilegia judicat, aut Ecclesiarum Bona detinet, alienat, vel alienata recipit, qui etiam non reddit decimas.

Religiosus Habitum suum temerè dimittens,

Simoniacè dans vel recipiens Sacros Ordines, aut Beneficium Ecclesiasticum, & quicumque suam Operam vel Consilium interponit, ubi voluntas est dandi vel accipiendi pro re spirituali rem temporalem, cum significatione alicujus pacti, expressi vel taciti, in quod pactum pars utraque consensit. Quæ Simonia realis in Ecclesiasticis Beneficiis commissa, conjunctam habet obligationem ad Beneficia non retinenda, & ad fructus eorum restituendos. In Ordinibus verò suspensum reddit illum, qui ordinatus est, ut non possit ea quæ sui sunt Ordinis, citra specialem Facultatem exequi.

Incendiarius, qui publicè fuit pro excommunicato denunciatus.

Missam celebrans in excommunicatione majore.

Commutans alicui Vota facta de servanda Castitate perpetua, de ingressu Religionis, de visitando Sepulchro Domini, aut de suscipienda Peregrinatione ad Apostolorum Petri & Pauli limina, vel ad S. Jacobum in Compostellam.

Sepeliens Hereticos, & illis adhaerentes in loco sacro.

§. 1. In Decreto & Decretalibus Papæ reservata.

Prima est excommunicatio, in percussorem Clerici, vel Monachi, lata in Cap: *Si quis suadente Diabolo.* 17. q. 4.

Secunda est, lata à Delegato Papæ in eum, qui rei judicatæ parere contemnit: illa enim post annum transactum manet reservata Papæ, Cap: *Quarenti de officio delegati.*

Tertia est, Excommunicatio promulgata ab Episcopo in eos, qui literas Apostolicas falsas habentes, non destruunt eas, aut non resignant intra viginti dies; postquam enim contracta fuerit, recurrendum est ad Summum Pontificem pro absolutione. Cap: *Dura.* §. *Per excommunicationis* & r. *de Crim: fal:*

Quarta est, lata in Sacrilegos, qui violenter Ecclesiam confregerint, eamque spoliare non dubitaverint. Cap: *Conquesti: de Sentent: excommunic:*

Quinta est, qua Papa excommunicat Clericos, qui cum excommunicatis à se communicant in divinis, illorumque absolutionem sibi reservat: Cap: *Significavit de Sentent: excommunic:*

Sexta est, lata in incendiarios, qui postquam sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam sunt mittendi. Cap: *Tua nos, de Sentent: excommunic:*

Septima est, lata in eos, qui in personis, aut bonis suis gravant illos, qui sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti in aliquem tulerint: ab eo enim per Sedem tantum Apostolicam tales absolvi posse, si in ea sententia spatium duorum Mensium perseveraverint, habetur ex Cap: *Quicumque, eodem in 6.*

Octava est, lata in illos, qui post absolutionem à priore Excommunicatione reservata Papæ obtentam sub Conditione comparendi coram ipso Papa, vel satisfaciendi parti læsæ, talem conditionem negligunt implere tempore debito. Cap: *Eos, predict: tit: in 6.*

Nonam omitto, contra inferentes violentiam S. R. E. Cardinalibus, item Episcopis in Clement: *Si quis de pæn:* Quia continetur etiam in Bulla Cœnæ.

§. 2. In Clementinis & extracavagantibus Excommunicationes reservata.

Prima habetur in Clementina I. *de Hæreticis*, §. *Verum*, contra Inquisitores, vel eos, qui ipsorum vices gerunt, seu locò ipsorum, ad illud officium gerendum deputantur; si in usu ejusdem officii ita deliquerint, ut odii, & cæterorum ibi positorum obtentu, contra justitiam & conscientiam suam omiserint contra aliquem procedere, ubi fuerit procedendum super hujuscemodi pravitate; aut obtentu eodem, pravitatem ipsam, aut impedimentum officii imponendo, cum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare.

Secunda est, in Clementina, *Religiosi, de Privilegiis*: lata contra Religiosos, qui præsumpserint Sacramenta Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ ministrare, vel Matrimonia solemnizare, sine Parochialis Presbyteri licentiâ speciali; vel excommunicatos à Canone præterquam in Casibus, ipsis à Pontifice concessis, absolvent, &c.

Tertia est, lata in Clement: *Cupientes §. sanè de pœnis*. In Religiosos ac in Clericos sæculares violantes Constitutionem Bonifacii, Cap: I. *de sepulturis in sexto*, nè aliquis Clericus sæcularis, aut Religiosus inducat quempiam ad vovendum, Jurandum, vel fide interpositâ, seu aliàs promittendum; ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligat, vel jam electam ulterius non mutet.

Quarta habetur in Clement: *Gravis, de sentent: excomm:* lata in violantes interdictum per unam ex quatuor actionibus ibi positis.

Quinta excommunicatio est in Extravag: *Detestandæ, inter Communes, de sepulturis*, lata in lacerantes & exenterantes corpora defunctorum hominum, ut conserventur, vel ut decoquantur, ut ossa possint in alia loca transferri.

Sexta, contra eos lata, qui dant vel recipiunt aliquid ob ingressum, Religionis per modum pacti & conventionis. *Extrav: 1. de Simon: inter Communes.*

Septima, in *Extravag: 1. de Regularibus*, in qua Martinus IV. prohibebat, nè Religiosi mendicantes ad aliam Religionem transeant, excepta Carthusiensi, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali,

Octava, lata in *Extravag: cum detestab: de Simonia*, inter communes: quam ii incurrunt, qui Simonix peccatum committunt: intellige autem de Simonia reali consummata, id est, in qua defactò datum & acceptum est temporale pro spirituali.

Nona est in *Extravag: inter commun: Grave nimis, de Reliquiis & venerat: Sanctior*: lata à Sixto IV. in præsumentes affirmare, illos qui credunt, aut tenent, Beatissimam Virginem, ab originali peccato fuisse præservatam, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, vel etiam eos, qui Conceptionis Officium celebrant, vel Conciones audiunt eorum, qui ipsam sinè maculâ peccati conceptam esse prædicant, vel libros talem doctrinam continentes pro veris legunt, tenent, vel habent: vel alicujus peccati reatum incurere. Ubi idem similiter excommunicat eos, qui affirmant hæresim esse, vel peccare mortaliter eum, qui docuerit, aut asseruerit Beatam Virginem in peccato originali conceptam esse.

§. 3. *Alicæ Excommunicationes reservatæ, extra Corpus Juris & Bullam Coena.*

PRima est, à Leone X. in Concilio Lateranensi lata in Prædicatores, qui contravenerint iis, quæ ibidem prohibentur; quorum primum est, ut Evangelicam veritatem & Sacram Scripturam, juxta Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent; nihilque adjiciant contrarium, aut dissonum Sacræ Scripturæ. Secundum est, ut tempus præfixum futurorum malorum, vel adventus Antichristi, aut certum judicii diem prædicere non præsumant. Tertium, nè illa futura quasi specialiter revelata dicant, aut alienas inanésque divinationes assererent. Quartum, ut è Prælatorum, aliorumque Superiorum detractioe abstineant.

Secunda Excommunicatio habetur ex quodam proprio motu Pii V. quæ incipit, *Regularium Personarum*, lata in fœminas, quæ ingrediuntur in Monasteria Carthusiensium, aliorum virorum vitam regularem agentium.

Tertia in ejusdem Pontificis Constitutione, quæ incipit: *intolerabilis*, lata in eos, qui committunt crimen Simonix, confidentiæ beneficalis, ut censentur tam illi, quorum ibidem mentio est, tum ii, qui beneficium recipiunt ab aliquo, sub confidentia, quòd illud postea eidem restituent, vel alteri dabunt, vel fructus ejus, aut eorum partem, aut pensionem eidem, vel alteri solvent.

Quarta est, quam Concilium Tridentinum *Scff: 22. cap: 11. de Reform:* fert in quoscunque, sive Clericos, sive Laicos, qui præsumunt usurpare quacunque arte, aut modò bona, res, jura, fructus redditus, aut jurisdictiones alicujus Ecclesiæ, vel beneficii sæcularis, montium pietatis, vel aliorum piorum locorum, vel impediens, nè percipiantur ab eis, ad quos jure pertinent. Has omnes, earumque explicationem fusiùs tradunt Theologi Morales.

Sunt & aliæ Censuræ in posteriorum Pontificum Bullis reservatæ, ut in Bulla Urbani VIII. contra eos, qui de gratia & libero arbitrio sinè speciali Sedis Apostolicæ licentia Tractatus edunt. Et in Bulla Alexandri VII. contra eos, qui quovis modo contra piam Sententiam de Immaculata B. Virg: Conceptione, ejusque Festum seu cultum aliquid publicè vel privatim, voce vel scripto loqui, tractare, disputare ausi fuerint, vel argumenta contra illa adferre & insoluta relinquere. Et quædam his similes Censuræ, quæ in aliis Controv: emanarunt.

Casus simplices, qui ex Jure Episcopis reservantur.

HI Casus, qui ex Jure Episcopis reservantur, præter Excommunicationem majorem, quatuor sunt:

Primus. Clerici peccatum, quo in irregularitatem cadit.

Secundus. De Incendiariis dolosis, ante denuntiationem tamen (nam post eam est Papalis) atque de iis, qui hoc fieri præcipiunt, aut auxilium, consilium, ac favorem dant.

Tertius. Est peccatum, cujus causâ Laicis olim solemniter indicenda erat Pœnitentia: loco cujus temporibus nostris ii, qui ad crimen admittunt, aliter, sed severè tamen ad arbitrium Ordinarii puniri debent.

Quartus. Est peccatum, à quo antea Episcopus justis de causis peccantem absolvere noluit: vel adhuc sibi reservat.

Casus alii, qui ex consuetudine Episcopis reservantur.

Homicidium voluntarium, aut membrorum mutilatio, à quo tamen peccato, neque auctor delicti, neque qui præcepit, aut consensit, absolvi potest, nisi præmissa satisfactione.

II. Crimen falsarii, seu falsi, quo non ii solùm obstringuntur, qui literas, aut scripta falsa supponunt, sed falsi etiam testes, qui à mendacio contra verum stant, aut ii, qui rogati veritatem celant, aut perjuri, qui fidem, ac jusjurandum negligunt, & violant: aut qui jus ipsum jurando pervertunt.

III. Violatio loci sacri quod & Sacrilegium appellatur, quo proximus, seu Vir ille sit, sive Mulier, loco sacro, vel in persona, vel in fortunis læditur, aut vi ab eodem, quo, ut tutus esset, confugerat, abstrahitur: aut cum semen humanum voluntariè ibidem spargitur, aut extra, quando cum persona Deo consecrata aliquis fornicatur, idque tum præcipuè cum Monialis vitatur, atque

que alia id genus quàm plurima ad Sacrilegium spectantia : ità ut omne Sacrilegium ex consuetudine sit casus Episcopalis.

IV. Sortilegium, Divinatio, Incantatio, & id genus alia Magica exercitia, si sint crimina gravia, (quod discretus Confessor discernat) quæ, qui admittunt, ut infames, nullum dicendo testimonium, accusandòque locum habent, & ab Ecclesia exterminantur, nisi que resipuerint, perpetuò sunt excommunicandi. Quòd si in sacris fuerint, dignitate, atque honore privari debent.

V. Olim peccatum violantium Ecclesiasticam libertatem, personas, aut res Ecclesiæ aggravando, casus Episcopalis erat, sed nunc per Curix Sententiam hujusmodi Violatores ipsò factò sunt excommunicati, absolute S. Sedi reservata, ut videre est supra in Bulla Cœnæ Domini, excommunicatione 15. & 18.

VI. Promotio per saltum (ut vocant) ad Sacros Ordines, vel ab alieno Episcopo, sinè dispensatione.

VII. Celebratio Missæ in Altari non consecrato, vel absque sacris indumentis, vel alioquin, cum Sacerdos non est jejunos,

VIII. Fornicatio cum spiritali filia, à se priùs baptizata, aut è sacro Fonte suscepta, vel ad Confirmationem conducta, vel ejus Confessione audita, vel cum quibusvis aliis, à Fide Christiana, ac Religione alienis: veluti cum Judæis, Saracenis, ac cæteris id genus hominibus.

IX. Virginem vi constuprans, vel post Votum simplex castitatis emissum contrahens Matrimonium.

X. Adulter, Sacrilegus, Incestuosus, cum Bestiis abominationem faciens, perjurus, falsum dicens testimonium.

XI. Parens filios opprimens, aut quæcunque persona in se, vel aliis procurans abortum, & sterilitatem.

XII. Sacerdos absolvens Excommunicatum majore (ut vocant) Excommunicatione, vel Hæreticum, sinè speciali commissione, vel sepeliens Usurarium manifestum.



DE SANCTISSIMO EUCCHARISTIÆ SACRAMENTO.




*M*nibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis religiose sanctèque tractandis, magna, ac diligens cura adhibenda est; sed præcipuè in administrando, ac suscipiendo Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius & admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur præcipuum & maximum Dei donum, & ipsemet omnis gratiæ & sanctitatis Fons, Auctórque Christus Dominus.

Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse Venerabile hoc Sacramentum quâ decet reverentiâ, debitòque cultu tractet, custodiat & administret, tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sanctè, frequentèrque suscipiat, præsertim in majoribus anni solennitatibus.

Ideo populum sæpius admonebit, quâ præparatione, & quantâ animi religione ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam Divinum Sacramentum debeat accedere: ut præmissa sacramentali Confessione, oranes saltèm à media nocte jejuni, & utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viri quantum fieri potest, à mulieribus separati.

Moneantur præterea communicantes, ut sumptò Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim Orationes recitent, nè Sacramenti species de ore decidant, sed quâ par est devotione, aliquantisper in Oratione permaneant, gratia agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de Sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc Mysterium cele-



Birket's Bild. 1840.

Curare porrò debet, ut perpetuò aliquot particulæ consecratae eò numero, qui suorum infirmorum, & aliorum fidelium communioni satís esse possit, conseruentur in pyxide ex solida, decentique materia, eaque munda, & suò operculò bene clausa, albò velò cooperta, & quantum res feret, ornato in tabernaculo clave obserato.

Hoc autem tabernaculum conopæò decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, ac decentius videatur, sit collocatum ità ut nullum aliis sacris functionibus, aut Ecclesiasticis Officiis impedimentum afferatur, lampades coram eo plures, vel saltèm una, die, noctuque perpetuò coluceat: curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, & conseruentur.

Sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renovabit. Hostiæ verò, seu particulæ consecrandæ sint recentes, & ubi eas consecrauerit, veteres primò distribuatur, vel sumatur.

Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarij, sceneratores, magi, sortilegi, blasphemj, & alij ejus generis publici peccatores: nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.

Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.

Amentibus præterea, seu phreneticis, communicare non licet: licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, & devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

His etiam, qui propter ætatis imbecillitatem, nondum huius Sacramenti cognitionem, & gustum habent, administrari non debet.

ORDO MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM.

Sacerdos igitur Sanctissimam Eucharistiam ministraturus, Hostiis, seu particulis pro populi multitudine consecratis, vasculoque uno, vel pluribus, decenti & commodo loco expositis, cum vino, & aqua ad purificationem eorum, qui comunione sumpserint, & ante eos linteò mundò extensò, lotis priùs manibus, & superpelliceò indutus, ac desuper stola coloris Officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, seu aliò Ministrò, procedit ad Altare manibus junctis, & accensis cereis, facta priùs, & postea genuflexione, extrahit pyxidem, & illam super corporale depositam discooperit. Minister genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolæ facit Confessionem generalem, dicens: **Confiteor Deo omnipotenti, &c.**

Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum (advertens, nè terga vertat Sacramento) & in cornu Evangelii dicit: Misereatur vestri, &c. & addit: Indulgentiam, absolutionem ✠, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens & misericors Dominus. R. Amen. Dicens: Indulgentiam, &c. manu dextera in forma Crucis signat comunicandos.

Deinde ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit, & duobus digitis pollice & indice Sacramentum accipit, & elevat, conversusque ad populum in medio Altaris, dicit clara voce: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Mox subdit: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbò, & sanabitur anima mea.

Pane / negsem hoden / abys wffel pod Střechu mau / ale rcy
toliko Slowem / a bude vzdrowená Duffe má.

HERZ, ich bin nicht würdig, daß du eingehest unter mein
Dach, sondern sprich nur ein Wort, so wird mein Seel gesund.

*Quod iterum, ac tertio repetit, quâ formulâ etiam utendum
est, cum fæminæ cõmunio ministratur.*

*Posteâ ad cõmunicandum accedit, incipiens ab iis, qui sunt
ad partem Epistolæ, sed primò, si Sacerdotibus, vel aliis ex Cle-
ro danda sit Cõmunio, iis ad gradus Altaris genuflexis præbea-
tur; vel si commodè fieri potest intrâ sepimentum Altaris sint à
laicis distincti. Sacerdotes verò cum stola communicent.*

*Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, & faciens cum
eo signum Crucis super pyxidem simul dicit: Corpus Domini
nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.
Amen.*

*Ubi verò omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Al-
tare, dicere poterit: O sacrum Convivium, in quo Christus
sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur
gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

*✠. Panem de Cælo præstitisti eis. Minister respondet.
Omne delectamentum in se habentem. Tempore Paschali
additur. Alleluja. Mox Sacerdos dicit: ✠. Domine exau-
di Orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. ✠.
Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili, Passio-
nis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsu-
mus, ità nos Corporis & Sanguinis tui sacra my-
steria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in
nobis jugiter sentiamus: Qui vivis & regnas, &c.

Tempore Paschali dicitur Oratio.

Spiritum nobis Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tuâ facias pietate concordēs. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in pyxidem deponat, & eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, & abstergat purificatoriô; ablutionem verò sumat, si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, sumendam tradat, aut saltem in sacrarium injiciat. Postea genu flectens reponit Sacramentum in tabernaculo, & clave obserat.

Deinde extentâ manu dexterâ, benedicit iis, qui communicarunt, dicens: Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠, & Filii, & Spiritûs Sancti, descendat super vos, & maneat semper. **R.** Amen.

Communio autem populi intrâ Missam, statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum Orationes, quæ in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.

Itaque Sacerdos, sumpto sacratissimo Sanguine, antequam purificet, ponat particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positæ fuerint in pyxide, & genuflectit, ministro interim faciente Confessionem, ut supra. Postea vertens se ad populum in cornu Evangelii, dicit: Misereatur vestri, &c. & eò, quò supra dictum est, modo, porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens à ministris Altaris, si velint communicare. Finitâ Communionem, revertitur ad Altare nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia

quia illam dabit in fine Missæ. Deinde dicit secretò : Quod ore sumpsumus, &c. ut in Missali, se purificat, & Missam absolvit. Quòd si contingat, absolutà Missà, statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc planetà indutus, sacram Communionem eò modò, quò suprà dictum est, ministrabit.

DE COMMUNIONE PASCHALI.

Juxta Rituale Romanum.

C*Uret autem Parochus, ut in Quadragesima per se, vel per alios Concionatores populo opportunè denunciatur Constitutio Concilii Lateranensis sub INNOCENTIO III. quæ sic habet :*

Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltèm semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinentium; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ,

Ut igitur hoc salutare Concilii Decretum inviolabiliter servetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum, & qui dicto tempore non communicaverint, & post Octavam Paschæ eos, qui proprie salutis immemores sæpiùs admoniti non obtemperaverint, Ordinario suo denunciet.

Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri potest, ut in ipso die Sanctissimo Paschæ communicent, quo die ipse per se, nisi legitimè impediatur, Parochiæ suæ fidelibus hoc Sacramentum ministrabit. Alienæ verò Parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent : quibus ipse sacram præbebit Com-

munionem, si ad illum accesserint ritè parati, vel ubi est ea consuetudo, eos ad Cathedralis Ecclesiæ Parochos remittet. In cæteris verò servabit ea, quæ in libro de statu animarum, ut infra præscribuntur.

Ægrotis quoque Parochialibus, etiamsi Communionem extrâ præscriptos Paschales dies sumpserint: in Paschalibus diebus illam deferet, ac ministrabit.

In Parasceve, si incidat festum Annuntiationis non tenentur fideles audire missam, neque fit tunc communio, nisi infirmorum.
Sac: Cong: Rit: 19. Feb: 1622.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

Vaticum Sacratissimi Corporis Domini nostri JESU Christi, summò studio, ac diligentia, ægrotantibus opportuno tempore procurandum est, nè forte contingat illos tantò bonò, Parochi incuria, privatos decedere. Cavendum autem inprimis est, nè ad indignos cum aliorum scandalo deferatur: quales sunt publici usurarii, concubinarij, notorie criminosi, nominatim Excommunicati, aut denunciati, nisi sese prius Sacra Confessione purgaverint, & publicæ offensionis, prout de jure, satisfecerint.

Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maximè si Festi alicujus celebritas id suadeat: neque ipse illam ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cùm probabile est, quòd eam amplius sumere non poterit. Quòd si æger, sumptò Viaticò, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pro desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis; id tamen diligenter curandum est, nè iis tribuatur, à quibus ob pbrenesim, sive ob assiduam tussim, aliūve similem morbum,

aliqua indecentia cum injuria iam Sacramenti timere potest. Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægitudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum & potum, non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ antè aliquid sumere licet.

Sed alicui ad adorandum solùm, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum non deferatur.

Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifestè atque honorificè, ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente.

Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquot campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, seu Confraternitatem sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta) seu alios pios Christi fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis seu intortitiis comitentur, & umbellam seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant. Præmoneat, ut ægri culiculum mundetur, & in eo paretur mensa linteò mundò cooperta, in qua sanctissimum Sacramentum decenter deponatur.

Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua; prætereà linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

Ubi verò convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceò & stola, & si haberi potest, pluviâ albi coloris, Acolythis seu Clericis, aut etiam Presbyteris (si locus feret) superpelliceò pariter indutis comitatus, decenter, & de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum (si longius aut difficilius iter sit faciendum) ponat in pyxide, seu parva custodia, quam propriò suò operculò cooperit, & velum sericum super imponit; ipse verò Sacerdos imposito

sibi prius ab utroque humero oblongo velo decente, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, & deinde umbellam seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.


Præcedat semper Acolythus, vel alius minister, deferens lanternam, (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi ne sit as urgeat) sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant; quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, & bursam cum corporali; quod supponendum erit vasculo sanctissimi Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi, & cum linteo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos; alter hunc librum Ritualem deferat, & campanulam jugiter pulset. Succedant deinde deferentes intortitia. Postremo Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella, dicens Psalmum Miserere, & alios Psalmos, & Cantica. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, & fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum deferatur, bursa decenter ornata; & ad collum appensa, aptè includere, & ita ad pectus alligare, atque obstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.

Ingressus verò locum ubi jacet infirmus, dicat: Pax huic domui. R. Et omnibus habitantibus in ea. Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, & mox acceptâ Aquâ benedictâ, aspergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam: Asperges me Domine hyssopô, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor: & primum versum Psalmi, Miserere mei Deus cum Gloria Patri. Sicut erat, &c. Deinde repetitur Antiphona. Asperges me, &c. Postea ✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum & terram. ✠. Domine exaudi Orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Deinde annunciat indulgentias à Sum̄is Pontificibus concessas Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Posteà cum Sacramento in pyxide velò cooperta faciat signum crucis super populum nihil dicens. Postremò illud in loco suo reponat.

Quòd si ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia eà, quò decet, veneratione Sacramentum ad Ecclesiam commodè reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est, tunc eà infirmo administratà, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & unà cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissà, latente pyxide ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.



DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Ex Rituali Romano.




Extremæ Unctionis Sacramentum à Christo Domino institutum, tamquam cœlestis medicina, non animæ solum, sed etiam corpori salutaris, omnî studio ac diligentia periculosè ægrotantibus adhibendum est, & eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens & ratio viget: ut ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacrò liniuntur Oleò.

In quo illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus, & infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.

Habeat igitur Parochus locò nitidò & decenter ornatò, in vase argenteo seu stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis Feria V. in Cena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si fortè infra annum aliquò modò ità deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modicò Oleò non benedictò in minori quantitate superinfusò reparari potest.

Oleum porrò ipsum vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili servari potest: sed ad evitandum effusionis periculum multò commodius ad infirmos desertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.



Infirmis autem, qui dum sanâ mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.

Sed si infirmus, dum præbrenesi aut amentiam laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

Impœnitentibus verò, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur.

Non ministretur etiam prælium inituris aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.

*Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, nè decedat, antequam finiantur Unctiones; citò ungetur, incipiendo ab eo loco: **Per istam sanctam Unctionem, &c.** ut infra. Deinde si adhuc supervivat, dicantur Orationes præmissæ, suò locò positæ.*

Si verò dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & prædictas Orationes omittat.

*Quòd si dubitet an vivat adhuc, Unctionem prosequatur, sub conditione pronunciando formam, dicens: **Si vivis, per istam sanctam Unctionem, &c.** ut infra.*

Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessionem, ad exitum vitæ properare, tunc cum sacro Viatico poterit & Oleum infirmorum ad eum deferri, per ipsum Sacerdotem qui defert sacram Eucharistiam. Si tamen alius Presbyter vel Diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur; qui superpelliceò indutus, cum Oleo sacro occulè delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem, & postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur à Sacerdote.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convalescit, iterum in periculum mortis incidit.

Quinque verò corporis partes præcipuè ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os, & manus: attamen pedes etiam & renes ungi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratiâ semper omittitur: atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Manus verò, quæ reliquis infirmis interiùs ungi debent, Presbyteris exteriùs ungantur.

Dum oculos, aures, & alia corporis, membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, nè alterò ipsorum inungendò, Sacramenti formam priùs absolvat, quàm ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem sit aliquò membri mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum formâ.

Hujus autem Sacramenti forma, quâ Sancta Romana Ecclesia utitur, solemnissimè illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctioes adhibet, cum ait:

Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum, sive per auditum, &c. deliquisti.

ORDO MINISTRANDI Sacramentum extremæ Unctionis.

S*Acerdos igitur hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappâ candidâ coopertam, itémque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes immu-*

Etas ; medullam panis ad detergendos digitos, & aquam ad abluendas Sacerdotis manus ; ceream itè candelam, quæ deinde accensa ipsi ungenti lumen præbeat. Denique operam dabit, ut quantâ poterit munditiâ ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

Deinde convocatis Clericis seu ministris, vel saltèm unô Clericò, qui Crucem sinè hasta, Aquam benedictam cum aspersorio, & librū Ritualement deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculò sericò violacei coloris inclusum, illudque cautè deferat, nè effundi possit. Quòd si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel aliàs adsit periculum effusionis, vas Olei sacculò aut bursâ inclusum, ut dictum est, ad collum appendat, ut comodius & securius perferat. Procedat autem sinè sonitu campanulæ.

Cùm perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit : Pax huic domui. R. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde depositò Oleò super mensam, super pelliceò stolâque violaceâ indutus, ægroto Crucem piè deosculandam porrigit: mox in modum crucis eum Aquâ benedictâ, & cubiculum & circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: Asperges, &c. Quòd si ægroto voluerit confiteri, audiat illum, & absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, & de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; & quantum opus sit, ejus animum confirmet, & in spem erigat vitæ æternæ.


Simili modo exhortari poterit, vel brevius pro infirmi capacitate, vel temporis opportunitate.

Boëmicè.

S Oněwádž wás Pán Bůh Wšsemohaucý / tauto Nemocy w kterežustáwate / nawšstjwiti ráciš; máte gi trpěliwě šnášeti / a bezpečně wěriti / že wás mišuge / neb toho Pán Bůh tresce / toho mišuge. Neb wšsechná Protiwěnstwoj kterež se nám stáwagi / od Pána BŮha pocházegi / abychom potrestánj glauce / Epaseni / a Slawy wěčné dogjti mohli. Poněwádž pať wy nynj Nemocen (nemocná) gšte / má-

te se tolikéz o to postarati / gať byste Duffy wassy spasytedlným a du-
chownjm Lekarstwjm na Cestu wasseho z tohoto Swěta wykročenj / opa-
trili a ogjstili: Totiz / Welebnau Swátosti Oltárnj / a Poslednjm Po-
mazánjm; O kterémžto Swatý Jakub w Epistle své takto pisse: In-
fi matur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie, &c. Gestli kdo z was
gest nemocen / wvediž k sobě Aněze Chrŕwe / ať se modlj nad njm / mařice
geho Olegem we Směnu Páně / a Modlitba Wřry vřdrawj Nemocného /
a polehčít genu Pán / a budeli w Hřissch / budaut genu odpustěnj.
S tim se také můžete nynj potěssyti / poněwadž mily Pán Bůh strze
aučastnost této Swátosti obwzłássenj milost wám činj; Tež ze wás také
řonečně do Brálorstwěj Nebeskeho powołati mjni / čehož zanedbáwati ne-
máte / nýbrž s krausseným a pokorným Srdcem k tomu se přihotowiti
a aučastným (aučastnau) wčiniti. Dřjwe pať nežli wám takowá Swá-
toť daná bude / hceme wás z Sedmi Zalmůw Ragsjch potěssyti / a
nassými Modlitbami mileho Pána BŔha na Pomoc wolati. Wy pať
zatim nemohauce se Wřty modliti / aspon Srdcem krausseným Modli-
teb nassých můžete poslauchati.

Germanicè.

 Emma h euch GOTT der Allmächtige mit der Kranckheit / mit der
ihr behafftet seht / heimgesucht / also sollet ihr solche gedultiglich
tragen / und sicherlich glauben / daß er euch lieben thut; danu
welchen GOTT liebet / den züchtiget er / und alle Widerwertigkeiten die
uns begegnen / die kommen von dem HERRN / damit wir nach der Züchti-
gung / unserer Seelen Seeligkeit / und die ewige Glory erlangen mögen.
Weilen ihr nun also krank darnieder liegt / so sollet ihr euch gleichfalls
erinnern / wie ihr euere Seele mit heilsam- und Geistlicher Arzney auf
die Reise euerer Hinfahrt wohl versorget / und versichert / das ist / mit
der Heiligen Communion / und dem Sacrament der letzten Delung: Von
welchem der H. Jacobus Apostel in seiner Epistel am 5. c. also schreibet:
Ist jemand unter euch krank / der ruffe zu sich die Priester der Kir-
chen / und lasse sie über ihn betten / und ihn salben mit Oele in dem Nah-
men des HERRN: Und das Gebett des Glaubens wird dem Kranken
helffen / und der HERR wird ihn erleichtern / und so er in Sünden ist /
werden sie ihm vergeben. Mit diesem könnet ihr euch auch jetzund trö-
sten / daß nemlich / weil der liebe GOTT durch Verlehnung solches Sa-
craments euch ein sonderliche Gnad beweisen thut / gleichfalls er gesinnet ist
euch in das Himmelreich zu sich zu beruffen / sofern ihr das nicht verab-
saumet / sondern euch mit zerknirschem und reuendem Herzen darzu be-
rei-



Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus 31.

BEati quorum remissa sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: convertus sum in ærumna mea, cum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

Incamo & frango maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 37.

Domine nè in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt , & corruptæ sunt cicatrices meæ : à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum , & curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum , & humiliatus sum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum ; & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est , dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum , & ipsum non est mecum.

Amici mei , & proximi mei : adversum me appropinquaverant , & steterunt.

Et qui juxta me erant , de longè steterunt : & vim faciebant , qui querebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi , locuti sunt vanitates : & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam : & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens : & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi : tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi , nè quando supergaudeant mihi inimici : & dum commoventur pedes mei , super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt , & confirmati sunt super me : & multiplicati sunt , qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis , detrahebant mihi : quoniam sequebar bonitatem.

Nè derelinquas me Domine Deus meus : nè discesseris à me.

Intende in adjutorium meum : Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

Psalmus. 50.

Miserere mei DEUS : secundùm magnam misericordiam tuam.
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopò, & mundabor : lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiã : & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua : & Spiritum sanctum tuum nè auferas à me.

Redde mihi lætitiã salutaris tui : & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ : & exultabit lingua mea justitiã tuam.

Domine labia mea aperies : & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses Sacrificium dedissem utique : holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ : oblationes, & holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 101.

Domine exaudi Orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me : in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunq; die invocavero te : velociter exaudime.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei : & ossa mea sicut cremium aruerunt.
Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei : adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum Pelicano solitudinis : factus sum sicut Nycticorax in domicilio.

Vigilavi : & factus sum sicut Passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei : & qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam Panem manducabam : & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ : quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt : & ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes : & memoriale tuum in generationem, & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion : quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine : & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium : & non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera : & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelsis sancto suo : Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini : & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum : & reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ : paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Nè revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem, & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti : & opera manuum tuarum sunt cœli ;

Ipsi peribunt, tu autem permanes : & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur : tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt : & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes ; in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observaveris Domine : Domine quis sustinebit.
Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.
A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Domino.
Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël : ex omnibus iniquitatibus ejus.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 142.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam
in veritate tua : exaudi me in tua justitia.
Et non intres in iudicium cum servo tuo : quia non justificabitur in con-
spectu tuo omnis vivens.
Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam
meam.
Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : & anxius est super me
spiritus meus, in me turbatum est cor meum.
Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tu-
is : in factis manuum tuarum meditabor.
Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine : defecit spiritus meus.
Non avertas faciem tuam à me : & similis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi manè misericordiam tuam : quia in te speravi.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.
Eripi me de inimicis meis Domine, ad te confugi : doce me facere volun-
tatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum
Domine, vivificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam : & in misericordia tua disperdes
inimicos meos.
Et perdes omnes, qui tribulant animam meam : quoniam ego servus tuus
sum. **G**loria Patri, &c.
Antiphona. Nè reminiscaris Domine, delicta nostra, vel parentum no-
strorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ.

K Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
 Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus,	} Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,	} Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus,	} Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,	} Miserere nobis.

Sancta Maria,	} Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,	
Sancta Virgo Virginum,	
Sancte Michael,	
Sancte Gabriel,	
Sancte Raphael,	
Omnes Sancti Angeli & Archangeli,	

Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines,	Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista,	Ora pro nobis.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ,	Orate pro nobis.

Sancte Petre,	} Ora pro nobis.
Sancte Paule,	
Sancte Andrea,	
Sancte Jacobe,	
Sancte Joannes,	
Sancte Thoma,	
Sancte Jacobe,	
Sancte Philippe,	
Sancte Bartholomæe,	
Sancte Matthæe,	
Sancte Simon,	
Sancte Thaddæe,	
Sancte Mathia,	
Sancte Barnaba,	

Sancte Luca,	Ora pro nobis.
Sancte Marce,	Ora pro nobis.
Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ,	Orate pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini,	Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes,	Orate pro nobis.
Sancte Stephane,	Ora pro nobis.
Sancte Laurenti,	Ora pro nobis.
Sancte Vincenti,	Ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebastiane,	Orate pro nobis.
Sancti Joannes & Paule,	Orate pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane,	Orate pro nobis.
Sancti Gervasi & Protasi,	Orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres,	Orate pro nobis.
Sancte Silvester,	
Sancte Gregori,	
Sancte Ambrosi,	
Sancte Augustine,	Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme,	
Sancte Martine,	
Sancte Nicolae,	
Omnes Sancti Pontifices, & Confessores,	Orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores,	Orate pro nobis.
Sancte Antoni,	Ora pro nobis.
Sancte Benedicte,	Ora pro nobis.
Sancte Bernarde,	Ora pro nobis.
Sancte Dominice,	Ora pro nobis.
Sancte Francisce,	Ora pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ,	Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ,	Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,	Ora pro nobis.
Sancta Agatha,	Ora pro nobis.

Sancta Lucia,
 Sancta Agnes,
 Sancta Cæcilia,
 Sancta Catharina,
 Sancta Anastasia,
 Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ,
 Omnes Sancti & Sanctæ Dei,
 Propitius esto,
 Propitius esto,
 Ab omni malo,
 Ab omni peccato,
 Ab ira tua,
 A subitanea & improvisa morte,
 Ab insidiis diaboli,
 Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
 A spiritu fornicationis,
 A fulgure & tempestate,
 A morte perpetua,
 Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
 Per Adventum tuum,
 Per nativitatem tuam,
 Per Baptismum & sanctum jejunium tuum,
 Per Crucem & Passionem tuam,
 Per mortem & sepulturam tuam,
 Per sanctam Resurrectionem tuam,
 Per admirabilem Ascensionem tuam,
 Per Adventum Spiritus Sancti Paraclyti,
 In die Judicii,
 Peccatores,
 Ut nobis parcas,
 Ut nobis indulgeas,

Ora pro nobis.
 Ora pro nobis.
 Ora pro nobis.
 Ora pro nobis.
 Ora pro nobis.
 Orate pro nobis.
 Intercedite pro nobis.
 Parce nobis Domine.
 Exaudi nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Libera nos Domine.
 Te rogamus audi nos.
 Te rogamus audi nos.
 Te rogamus audi nos.

- Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus, &c.
 Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris, Te rogamus, &c.
 Ut domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta
 religione conservare digneris, Te rogamus audi nos.
 Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos.
 Ut Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam do-
 nare digneris, Te rogamus audi nos.
 Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris, Te
 rogamus audi nos.
 Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris,
 Te rogamus audi nos.
 Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, Te rogamus audi nos.
 Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te
 rogamus audi nos.
 Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostro-
 rum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.
 Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
 Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
 Te rogamus audi nos.
 Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
 Fili Dei, Te rogamus audi nos.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
 Christe audi nos. Christe exaudi nos.
 Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
 Pater noster. *secr:* *ꝫ.* Et nē nos inducas in tentationem. *ꝫ.* Sed
 libera nos à malo.

Psalmus 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.
Confundantur, & reveantur: qui quærunt animam meam.
Avertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus; qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine nè moreris. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

V. Salvos fac servos tuos. **R.** Deus meus sperantes in te. **V.** Esto nobis Domine turris fortitudinis. **R.** A facie inimici. **V.** Nihil proficiat inimicus in nobis. **R.** Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. **V.** Domine non secundum peccata nostra facias nobis. **R.** Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. **V.** Oremus pro Pontifice nostro **N.** **R.** Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus. **V.** Oremus pro benefactoribus nostris. **R.** Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam, Amen. **V.** Oremus pro fidelibus defunctis. **R.** Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. **V.** Requiescant in pace. **R.** Amen. **V.** Pro fratribus nostris absentibus. **R.** Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te. **V.** Mitte eis Domine auxilium de sancto. **R.** Et de Sion tuere eos. **V.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

Ineffabilem nobis Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpam offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiternus Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro **N.** & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritus renas nostros, & cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando proseguere: ut cuncta nostra Oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum; omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum, &c.

✠. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. ✠. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. R. Amen. ✠. Et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen.

DE VISITATIONE, Et Cura Infirmorum.

Juxta Rituale Romanum.

Parochus imprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægotare, non expectabit, ut ad eum vocetur, sed ultrò

ad illum accedat ; idque non semel tantum , sed sæpius , quatenus opus fuerit : horteturque parochiales suos , ut ipsum admoneant , cum aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit , præcipue si morbus gravior fuerit.

Ad hoc juvabit , præsertim in amplis Parochiis , ægrotorum notam seu catalogum habere , ut cujusque statum & conditionem cognoscat , eorumque memoriam facilius retinere , & illis oportune subvenire possit.

Quod si Parochus legitime impeditus , infirmorum , ut quando plures sunt , visitationi interdum vocare non potest ; id præstandum curabit per alios Sacerdotes , si quos habet in Parochia sua , aut saltem per laicos homines pios , & Christiana charitate præditos.

Ægrotos visitans , ea , qua Sacerdotes Domini decet , honestate & gravitate se habeat , ut non agris solum , sed sibi & domesticis verbò & exemplò profit ad salutem.

Eorum verò præcipuam curam geret , qui humanis auxiliis destituti , benigni ac providi Pastoris charitatem & operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo , & eleemosynas illis , prout debet , si facultas suppetit , erogare , quantum fieri potest , sive per Charitatis , vel alterius nominis Confraternitatem , si in ea civitate vel loco fuerit , sive per privatas sive per publicas collectas & eleemosynas , illorum necessitatibus succurrendum curabit.

Inprimis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat , omnemque diligentiam in eo ponat , ut in via salutis eos dirigat , atque à diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat ac tueatur.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus , ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta ; ac præsertim Sanctorum exempla , quæ plurimum valent ; quibus eum in Domino

consoletur, excitet, ac recreet. Horteturque ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum poeniteat, divinam misericordiam imploret, & infirmitatis poenas, tamquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, & ad salutem suam provenisse credat, ut vitam morésque suos melius instituat.

Deinde quâ par est prudentiâ & charitate hominem ad sacram Confessionem inducat, & confitentem audiat, etiam si velit totius vitæ peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quàm ejus familiaribus vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii, ac plurimum summorum Pontificum decretis cavetur sub gravibus poenis, nè Medici ultra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi prius ipsis certò constet, illos Confessionis Sacramento ritè expiatis fuisse.

Illud præterea diligenter servari curabit, nè quis pro corporali salute aliquid ægrotò sùadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur.

Ubi verò periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, nè vel dæmonum astutiâ, neque Medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis se ullò modò decipi sinat, quò minus ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportunè procuret, & qua par est devotione & celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrèque sensus, religiosè suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, indiésque fallente diablo perducit.

Quòd si æger aliquis hortationibus ac monitis Sacerdotum, vel amicorum & domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est; sed quamdiu ille vivit, repetendæ sunt frequentes, variæ, & efficaciæ, Sacerdotum & aliorum piorum hominum exhortationes; proponendâque æternæ salutis damna, & sempiternæ mortis sup-

plicia ; ostendendâque immensa Dei misericordia, eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendæ sunt etiam tum privatæ, tum publicæ ad Deum Preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

Videbit denique Sacerdos, quibus potissimum tentationibus aut pravis opinionibus æger sit subjectus, eique prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras Imagines Christi Domini Crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti, quem æger præcipuè veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vasculum item adsit Aquæ benedictæ, quâ frequenter aspergatur.

Proponet item ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves Orationes, & pias mentis ad Deum excitationes; præsertim versiculos è Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, & Sanctorum martyria & exempla, ac cælestis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportunè & discretè suggerantur, nè ægroto molestia, sed levamen afferatur.

Consoletur infirmum, dicens, se pro eo in Missæ sacrificio, & aliis Precibus oraturum, curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant idque re ipsa præstabit.

Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem rectè constituat, & testamentum faciat; si quid habeat alienum, restituat, & ad remedium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.

Hortetur denique, ut si convalescerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine, & sacram Communionem piè suscipiat, ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneat.

Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret: arbitrio Sacerdotis, dici, vel omitti possunt.

Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus primùm dicat: V. Pax huic domui. R. Et omnibus habitantibus in ea. Mox infirmum, & lectum ejus & cubiculum aspergat Aquâ benedictâ, dicens:

Antiph: Asperges me Domine, &c. Deinde erga infirmum officium suum præstet, ut suprâ dictum est, quo præstito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Pœnitentialibus, vel Psal: Qui habitat in adjutorio, &c. cum Gloria Patri. In fine. Postea dicat: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

V. Et nè nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo. V. Saluum fac servum tuum. R. Deus meus sperantem in te. V. Mitte ei Domine auxilium de sancto. R. Et de Sion tuere eum. V. Nihil proficiat inimicus in eo. R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. V. Esto ei Domine turris fortitudinis. R. A facie inimici. V. Dominus opem ferat illi. R. Super lectum doloris ejus. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos, & hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

DEUS infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tu-

um ostende virtutum, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur.

CONcede hunc famulum tuum, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsentis liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filii, & Spiritûs sancti descendat super te & maneat semper. **R.** Amen.

Deinde aspergat eum aquâ benedictâ.

Qui sequuntur Psalmi, & Evangelia cum Precibus pro temporis etiam opportunitate, & ægrotantium pio desiderio, ac Sacerdotis arbitrio, dici poterunt. Psalmus.

Domine nè in furore tuo arguas me, &c. *in fine* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c. *ut suprâ* fol: 107.

✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. ✠. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. **R.** Gloria tibi Domine.

Dum Sacerdos dicit: Sequentia sancti Evangelii, &c. faciat signum Crucis de more super se in fronte, ore, & in pectore, similiter super infirmum, si fuerit masculus, & is ob infirmitatem non potest se signare.

Si autem fuerit fœmina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis prædictis se signet, si potest, si verò non potest, alia mulier eam signet, & hoc idem in sequentibus Evangeliiis servetur.

Matth: 8.

IN illo tempore : Cùm introisset Jesus Capharnaum , accessit ad eum Centurio rogans eum , & dicens : Domine puer meus jacet in domo paralyticus , & male torquetur . Et ait illi JESUS : Ego veniam , & curabo eum . Et respondens centurio ait . Domine non sum dignus , ut intres sub tectum meum , sed tantùm dic verbò , & sanabitur puer meus . Nam & ego homo sum potestate constitutus , habens sub me milites , & dico huic , vade ; & vadit : & alii , veni ; & venit : & servo meo : fac hoc ; & facit . Audiens autem JESUS miratus est , & sequentibus se dixit : Amen dico vobis , non inveni tantam fidem in Israël . Dico autem vobis , quòd multi ab Oriente , & Occidente venient , & recumbent cum Abraham , Isaac , & Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus , & stridor dentium . Et dixit JESUS Centurioni : Vade , & sicut credidisti , fiat tibi . Et sanatus est puer in illa hora .

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus , salus æterna credentium , exaudi nos pro infirmo famulo tuo **N.** pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium , ut redditâ sibi sanitate , gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones . Per Christum Dominum nostrum . **R.** Amen .

Psalmus 15.

Conserva me Domine , quoniam speravi in te : dixi Domino , Deus meus es tu , quoniam bonorum meorum non eges .

Sanctis , qui sunt in terra ejus : mirificabit omnes voluntates meas in eis .

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt .

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea .

Dominus pars hæreditatis meæ , & calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi .

Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi .

Benedicam Dominum , qui tribuit mihi intellectum : insuper , & usque ad noctem increpuerunt me renes mei .

Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, nè commovear.

Propter hæc lætatum est cor meum, & exaltavit lingua mea: insuper, & caro mea quiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in &c. *ŷ.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo. *ŷ.* Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. *℞.* Gloria tibi Domine.

Marc: 16.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocet. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Oremus.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo **N.** ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instauratâ protinus sanitate benedicat. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* Amen.

Psalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob. **M**ittat tibi auxilium de Sancto: & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutaris tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die, quâ invocaverimus te.

Gloria Patri, &c.

✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo. *✠.* Sequentia sancti

Evangeliî secundum Lucam. *R.* Gloria tibi Domine.

Luc: 4.

In illo tempore: Surgens JESUS de synagoga introivit in domum Simonis: locus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febrî, & dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad JESUM. At ille singulis manus imponens curabat eos.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis, infusâ virtutis tuæ dignatione, confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra, & mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusâ, gratia in eo pristinæ sanitatis perfectè reparetur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Psalmus 85.

Inelina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, & mitis: & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es DEus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: latetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine DEus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

DEus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quaesierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu tuo.

Et tu Domine DEus miserator, & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium Ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me. **G**loria Patri, &c.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. **V.** Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. **R.** Gloria tibi Domine.

Joan: 5.

In illo tempore: Erat dies festus Judæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Betsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ; sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus jacentem, & cognovisset, quia multum jam tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri: Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum

tum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogaverunt ergo eum: quis est ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. **J**ESUS autem declinavit à turba constituta in loco. Postea invenit eum **J**ESUS in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.

Oremus.

Respice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti, ut castigationibus emendatus, continuò se sentiat tuâ medicinâ salvatum. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Psalmus 90.

Qlli habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur. **D**icet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum: **D**Eus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scutò circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

Alagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursum, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiternus DEus, infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad protegendum eum dextram tue majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Completa Oratione ultimâ, Sacerdos imponat dexteram manuum super caput infirmi, & dicat.

Super ægros manus imponent, & bene habebunt, JESUS Mariæ Filius, mundi salus, & Dominus, meritis, & intercessione Sanctorum Apostolorum suorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, sit tibi clemens, & propitius, Amen.

Postea dicat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo. ✠. Initium Sancti Evangelii secundum Joannem. *R.* Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent, per illum: non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CA-**

RO FACTUM EST, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. *R.* Deo gratias.

Posteà benedicens infirmum subjungat dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te & maneat semper. *R.* Amen.

Deinde aspergat eum Aquâ benedictâ.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo, vel loco, preces, & orationes prædictæ dicantur super eos in numero plurali.

Quæ omnia etiam poterunt arbitriò Sacerdotis breviora fieri.

MODUS JUVANDI MORIENTES.

Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, & ad salutem diligenter juvare non desinet: monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore præsto sit morienti; sumptoque Sanctissimò Viaticò, & sacrâ Unctione adhibitâ, si periculum imminet, statim commendationis animæ officium præstabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia præstare poterit, si ità expedire judicaverit pro conditione personæ.

Ac primò, si agrotus indulgentiam legitimâ auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat, præsertim, ut contrito corde sanctissimum nomen Jesu semel, vel sæpius invocet.

Deinde hortetur infirmum, & excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum, nempe:

Ut firmiter credat omnes articulos fidei, & quidquid sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica credit & docet.

Ut speret, Christum Dominum nostrum, pro sua immensâ clementia, sibi fore propitium, & meritò ejus sanctissimæ Passionis, & per intercessionem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum se vitam æternam consecuturum.

Ut toto corde diligit, & maximè diligere cupiat Dominum Deum eâ dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensâ, qualitercumque contra Dominum Deum, & proximum commissâ.

Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem, & morbi molestiam propter Deum in Pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Ut si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cavere, & ejus mandata servare.

*Hortetur præterea, ut eo modo quo potest, saltém ex corde ità per interval-
la precetur.*

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.

In te Domine speravi: non confundar in æternum.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Redemisti me Domine Deus veritatis.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Esto mihi Domine in Deum protectorem.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Dulcissimè Domine JEsu Christe, per virtutem Sanctissimæ Passionis tuæ, recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine JEsu Christe, suscipe spiritum meum.

Maria Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste. Omnes sancti Angeli, & omnes Sancti intercedite pro me, & mihi succurrite.

Hæc, & his similia poterit prudens Sacerdos vulgari vel Latino Sermone, pro personæ captu morienti suggerere.

*Deinde sequentes Preces quanta poterit majori devotione dicat, admoneat-
que domesticos & circumstantes, ut simul orent pro moriente.*

ORDO COMMENDATIO- NIS ANIMÆ.

Parochus ad decedentis animæ commendationem accedens, Clericum saltém unum, si potest, secum hebeat, qui deferat vasculum Aqua benedicta, super-delicium, & stolam violaceam, quibus ipse Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergat egrotum, lectum, & circumstantes Aqua benedicta, dicens:
Asperges me Domine hyssopò, & mundabor, &c.

Postea Salvatoris nostri Crucifixi imaginem egroto osculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens salutis suæ spem sumat.

Deinde accensâ candelâ genibus flexis cum omnibus circumstantibus breves Litaniâs devotè recitet, in hunc modum:

K Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Sancta MARIA,
 Omnes Sancti Angeli & Archangeli,
 Sancte Abel,
 Omnis Chorus iustorum,
 Sancte Abraham,
 Sancte Joannes Baptista,
 Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ,
 Sancte Petre,
 Sancte Paule,
 Sancte Andrea,
 Sancte Joannes,
 Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ,
 Omnes Sancti Discipuli Domini,
 Omnes Sancti Innocentes,
 Sancte Stephane,
 Sancte Laurenti,
 Omnes Sancti Martyres,
 Sancte Silvester,
 Sancte Gregori,
 Sancte Augustine,
 Omnes Sancti Pontifices, & Confessores,
 Sancte Benedicte,
 Sancte Francisce,
 Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ,
 Sancta Maria Magdalena,
 Sancta Lucia,
 Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ,
 Omnes Sancti & Sanctæ Dei,
 Propitius esto,
 Propitius esto,

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Orate pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Ora pro eo.

Ora pro eo.

Orate pro eo.

Intercedite pro eo.

Libera eum Domine.

Libera eum Domine.

Propitius esto ,
 Ab ira tua ,
 A periculo mortis ,
 A mala morte ,
 A pœnis inferni ,
 Ab omni malo ,
 A potestate diaboli ,
 Per Nativitatem tuam ,
 Per Crucem & Passionem tuam ,
 Per mortem & sepulturam tuam ,
 Per gloriosam resurrectionem tuam ,
 Per admirabilem Ascensionem tuam ,
 Per gratiam Spiritûs Sancti Paracliti ,
 In die Judicii ,
 Peccatores ,
 Ut ei parcas ,

Libera eum Domine.

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxietur, dicantur sequentes Orationes:

Oremus.

Proficiscere anima Christiana de hoc mundo , in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit : in nomine JESU Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est : in nomine Spiritûs sancti, qui in te effusus est : in nomine Angelorum, & Archangelorum : in nomine Thronorum, & Dominationum ; in nomine Principatum, & Potestatum ; in nomine Cherubim, & Seraphim : in nomine Patriarcharum, & Prophetarum : in nomine Sanctorum Apostolorum, & Evangelistarum : in nomine Sanctorum Martyrum, & Confessorum : in nomine Sanctorum Monachorum, & Eremitarum : in nomine Sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei : hodie fit

fit in pace locus tuus, & habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oratio.

DEus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata penitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniam remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum *N.* & remissionem omnium peccatorum suorum totâ cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo piissime Pater, quidquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violatum est: & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Misere Domine gemitum, misere lacrymarum ejus: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Commodo te omnipotenti Deo, charissime frater, & ei, cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus Angelorum cætus occurrat: iudex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis, atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane difugiat. Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt

eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficient: Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur, & erubescant omnes tartaræ legiones, & ministri satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intrà paradisi sui semper amana virentia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dextram suam in electorum suorum te forte constituat. Redemptorem tuum, facie ad faciem videas, & præsens semper assistens, manifestissimam beatissimis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Oratio.

Suscipe Domine servum tuum in locum sperandæ sibi salvationis à misericordia tua. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Enoch, & Eliam de communi morte mundi. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Noë de diluvio. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Abraham de Ur Chaldæorum. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Job de passionibus suis. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Isaac de hostia, & de manu Patris sui Abrahæ. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Danielem de lacu leonum. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Susannam de falso crimine. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti David de manu regis Saul, & de manu Goliæ. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Petrum, & Paulum de carceribus. *R.* Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem & martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberâsti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. *R.* Amen.

O ratio.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui *N.* precamurque te Domine JESU Christe, Salvator mundi, ut, propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à diis alienis creatam, sed à te solo Deo vivo & vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam ejus in conspectu tuo, & nè memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non negavit, sed credidit; & zelum Dei in se habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

Delicta juventutis, & ignorantias ejus, quæsumus, nè memineras Domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cælestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, & perducant eum in civitatem cælestem Jerusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claves regni cælestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi, atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cælestis: præstante Domino nostro JEsu Christo. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. **RS.**
Amen.

Si verò diutius laborat anima, poterit legi super eum hoc Evangelium sancti Joannis.

Joann: 17.

Sublevatis oculis in cælum JEsus, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JEsu Christum. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; & nunc clarifica me tu Pater apud te ipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de

mun-

mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abste sunt: quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt: & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odiò habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti; Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit. Ego autem te cognovi: & hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, quæ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem. Cap: 18.

IN illo tempore: Egressus est Jesus cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus. Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis; finite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Strabant autem servi, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans; & calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit Je-

sum de discipulis suis; & de doctrina ejus. Respondit ei JESUS: Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt; & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas; interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam JESU, dicens: sic respondes pontifici? Respondit ei JESUS: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei unus ex servis pontificis cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus: & statim Gallus cantavit. Adducunt ergo JESUM à Caipha in prætorium. Erat autem manè: & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. Ut sermo JESU impleretur, quem dixit significans quâ morte esset moriturus. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit JESUM, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit JESUS: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit JESUS: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit JESUS. Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam ve-

ritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? Clamaverunt ergo rursus omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: & veste purpureâ circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Accipite eum vos: & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta; & dicit Judæis, Ecce Rex vester: Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non ha-

bemus Regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt. Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jesum. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus: & erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed fortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleteretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea sciens Jesus, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum acetò plenum. Illi autem spongiam plenam acetò, hyssopò circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora Sabbatò (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mör-

tuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, (eò quòd esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tollerèt corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus, dicenda à moriente, vel ab alio pro eo.

✠. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.

✠. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore osculò tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri; à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & acetò potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem, & mortem tuam libera me (*vel si alius dicit pro eo*) libera famulum tuum **N.** à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti la-

tronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Dici præterea possunt sequentes Psalmi.

Psalmus 117.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Domini.

Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quam sperare in Principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Impulsus everfus sum ut caderem: & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis justorum.

Dextra Domini fecit virtutem, dextra Domini exaltavit me: dextra Domini fecit virtutem.

Non moriar sed vivam: & narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudivisti me: & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
 Constituite diem solemnem in condensis: usque ad cornu altaris.
 Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
 Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 118.

BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.
 Non enim qui operantur iniquitatem: in viis ejus ambulaverunt.
 Tu mandasti: mandata tua custodiri nimis.
 Utinam dirigantur viæ meæ: ad custodiendas justificationes tuas.
 Tunc non confundar: cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
 Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.
 Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.
 In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.
 In toto corde meo exquisivi te: nè repellas me à mandatis tuis.
 In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.
 Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas.
 In labiis meis: pronunciavi omnia judicia oris tui.
 In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus divitiis.
 In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.
 In justificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.
 Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Retribue servo tuo, vivifica me: & custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.
 Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.
 Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas: in omni tempore.
 Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
 Aufer à me opprobrium, & contemptum: quia testimonia tua exquisivi.
 Et enim sederunt principes, & adversum me loquebantur: Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.
 Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove à me: & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus.

Adhæsit testimoniis tuis Domine: noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Tres piæ, & utiles morientibus orationes, cum tribus, Pater noster, & tribus, Ave Maria, in agone mortis recitanda.

Primo dicitur, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine Jesu Christe, per tuam sanctissimam agoniam, & orationem, quâ orâsti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris angustia copiosissimè pro nobis effudisti, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui **N.** & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis, & angustiiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Secundo dicitur, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum, & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui **N.** & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis, & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Tertio dicitur, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine JESU Christe, qui per os Prophetæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans: obsecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui **N.** & libera eum ab omnibus passionibus, & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu piissime Domine JESU Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, miserere animæ hujus famuli tui, & eam introducere digneris ad semper virentia, & amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui à te, & ab electis tuis nunquam separari potest. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

In Expiratione.

Cum verò tempus expirandi institerit, tunc maximè ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse verò moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: **JESU, JESU, JESU.** Quod, & ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sapius repetat: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Domine JESU Christe suscipe spiritum meum. Sancta Maria ora pro me. Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana Parochialis Ecclesiæ aliquibus icibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extrâ in suburbanis existentibus, instantem mortem expirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint. Egressâ animâ de corpore, statim dicatur hoc Responsorium:

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: Suscipientes Animam ejus; Offerentes eam in conspectu Altissimi.

✠ Suscipiat te Christus, qui vocavit te, & in sinum Abrahamæ
 Angeli deducant te. **R.** Suscipientes animam ejus, offeren-
 tes eam in conspectu Altissimi. ✠ Requiem æternam dona
 ei Domine. **R.** Et lux perpetua luceat ei. ✠ Offerentes
 eam in conspectu Altissimi. **K** yrie eleison. **C** hriste eleison.
K yrie eleison. **P** ater noster. ✠ Et nè nos inducas in ten-
 tationem. **R.** Sed libera nos à malo. ✠ Requiem æternam
 dona ei Domine. **R.** Et lux perpetua luceat ei. ✠ A porta
 inferi. **R.** Erue Domine animam ejus. ✠ Requiescat in pa-
 ce. **R.** Amen. ✠ Domine exaudi Orationem meam. **R.**
 Et clamor meus ad te veniat. ✠ Dominus vobiscum. **R.**
 Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui **N.** ut de-
 functus sæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitatem huma-
 næ conversationis peccata commisit, tu veniã misericordissi-
 mæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Interim detur campanã signum transitus defuncti, pro loci consuetudine,
 ut audientes pro ejus anima Deum precentur. Deinde corpus de more honestè
 compositum loco decenti cum lumine collocatur; ac parva Crux super pectus inter
 manus defuncti ponatur: aut ubi Crux desit, manus in modum Crucis compo-
 nantur; interdumque aspergatur Aquã benedictã, & interim donec efferatur,
 qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt
 pro defuncto.*



DE EXEQUIIS.



*S*acras ceremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, & summorum Pontificum institutis sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum, exequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria, Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summò studiò servare debent, atque usu retinere.

His itaque præstandis, quâ par est modestiâ ac devotione itâ se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum verè sunt, non ad quæstum, ejusmodi ritus sanctè instituti esse videantur.

Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa præsentè corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.

Si quis die Festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis præsentè corpore celebrari poterit; dum tamen Conventualis Missa & Officia divina non impediuntur, magnâque diei celebritas non obstet.

Caveant omnino Parochi, alitque Sacerdotes, nè sepulturæ vel exequiarum seu anniversarii mortuorum officii causâ quidquam paciscantur aut tamquam pretium exigant: sed iis elemosynis contenti sint, quæ aut probatâ consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neque permittant, ut pallia aut alia Altaris ornamenta ad ornatum feretri vel tumbæ adhibeantur.

Cum autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accen-
 sos

fos in exequiis & funeribus deferre, caveant item nè ejusmodi ritus omittatur, ac nè quid avarè aut indignè in eo committatur.

Pauperes verò, quibus mortuis nihil aut ità parùm superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur, ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.

Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cæmeteriis, retineatur, & ubi fieri potest, restituatur; at verò cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur. Cadavera autem propè altaria non sepeliantur.

Sepulchra Sacerdotum & Clericorum cujuscumque Ordinis, ubi fieri potest, à sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita; atque ità, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiæ ministris parata sint.

Sacerdos, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusivè, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, albâ, cingulò, manipulò, stolâ, & casulâ seu planetâ violaceâ sit indutus.

Diaconus verò induatur amictu, albâ, cingulò, manipulò, stolâ super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextera annexatur, & Dalmaticâ violaceâ.

Subdiaconus autem amictu, albâ cingulò, manipulò, & tunnicellâ.

Alii prætereà inferiorum Ordinum Clerici superpelliceò supra vestem talarem ornari debent; singuli prædicti cum tonsura ac birretis suis.

Nullum porrò cadaver perpetuæ sepulturæ traditum exulla cujusvis Ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii.

Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulò præditus ille fuerit, Clerici nè deferant sed laici.

Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare majus, vel si conduntur in Oratoriis aut Capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria: quod etiam profectu & loco fiat in sepulchro. Presbyteri verò habeant caput versus altare.

Cæterum nemo Christianus in communionem fidelium defunctus, extra Ecclesiam aut cœmeterium ritè benedictum sepeliri debet: sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur, & interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quiesse.

Additio.

A*nte solis Ortum & post occasum, nè efferantur mortui sinè licentia Episcopi.*

Neque sepeliendi sunt ante duodecim horas ab obitu: Qui verò, repentinâ morte obeunt, non ante horas viginti quatuor.
Cong: Ep: 12. Jan: 1604.

Defuncti nè efferantur à quoque, nec etiam à Regularibus quibuscunque & quovis prætextu, non vocatò & expectatò proprio Parochò defuncti, nisi is aliud permiserit vel adesse recusa-verit. Non obstante quâcunque speciali consuetudine.

Crux parochialis regulariter tantum deferri debet in funere.
Cong: Ep: 29. Julii 1616.

Regulares in funere locum solitum observent uti in Processionibus.

Regulares, ad quos defertur cadaver, neque in domo, neque in via Officium Parochi exequi possunt. Cong: Ep: 28. Octob: 1584.

Parochus deducet funus usque ad Ecclesiam Regularium, in qua

qua Regulares officium circa cadaver peragent, nisi contraria adsit consuetudo. Cong: Ep: 18. Junii. 1591. Item 31. Januar: 1617. Cong: Ep: 23. Nov: 1582.

Sepultura in Ecclesiis Regularium non debetur illi, qui habitu regulari petit tantum sepeliri, & aliunde sepulturam ibidem non elegit.

Neque Parochus (intra cujus fines aliquis alienae Parochiae occisus, aut mortuus est) impediatur, quod minus aliò transferri possit. Si verò translatio fit cum funeris solemnitate, jure suo utatur.

Excommunicatus etiam denunciatus, dans signa Pœnitentiæ in articulo mortis, sepeliatur in Ecclesia. Et sufficit unus testis ad comprobandum Pœnitentiæ actum. Cong: Ep: 17. Maji. 1583. Sylvanus quæst. 8.

Si Ecclesia est interdicta, ubi est sepultura majorum, sepeliatur in Parochiali: si hæc quoque interdicta, in Cathedrali: si omnes sint interdictæ, in monasterio proximiori.

Sepeliens corpus ejus violenter, qui alibi elegit sepulturam, jus suum amittit, quod habebat, & tenetur restituere corpus & emolumenta. Idem quæst: 11.

Quibus non licet dare Ecclesiasticam sepulturam.

Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi; nè quemquam ad illam contra sacrorum Canonum decreta umquam admittat. Rituale Roma:

Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & eorum fautoribus; apostatis à Christiana fide; schismaticis, & publicis excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

Se ipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ.

Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentia signa.

Manifestis & publicis peccatoribus, qui sinè pœnitentia perierunt.

Iis, de quibus publicè constat, quòd semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis & Communionis in Pascha, & absque ullo signo contritionis obierunt.

Infantibus mortuis absque Baptismo.

Ubi verò in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

Exequiarum Ordo Solennis.

EXequiarum Ordo est duplex: Solennis & Communis. In Solenni ritu Exequiarum, qui in funeribus Ecclesiasticorum, Nobilium, aliarumque personarum honoratarum exerceri solet, est talis:

Primò, canuntur tres Nocturni ex Officio Defunctorum cum Laudibus, secundùm modum infrà præscriptum apud feretrum, sive in domo defuncti, sive in Ecclesia, juxta loci consuetudinem. Post Officium canitur Requiem de die Depositionis; subsequitur Concio, tandem Conductus infrà expressus. Si tempus patiatur, addi poterit Votivum de Beata V. Reliqua observantur juxta communem infrà scriptum ordinem Exequiarum.

Communis Exequiarum Ordo.

Rituale Romanum.

Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, & alii, qui funeri interesse debent, & in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, ordine convenient; ac datis certis campanæ signis, eò modo, & ritu quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo & stolâ nigrâ, vel etiam pluviali ejusdem coloris, Clerico præferente Crucem, & alio Aquam benedictam, ad domum defuncti

una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei, & accenduntur in tortitia. Mox ordinatur Processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus regularis, & sæcularis per ordinem, binique procedunt, prælatâ Cruce, devotè Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus. Inde sequuntur alii funus comitantes, & pro defuncto Deum ritè deprecantes sub silentio.

Si in domo Defuncti Officium Defunctorum cum consuetis cantilenis præmissum non fuerit, tum Parocho, antequam cadaver efferatur, illud aspergit Aquâ benedictâ, mox dicit Antiph. Si iniquitates. Psal: 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Et repetitur Antiphona tota.

SI iniquitates observaveris Dominè: Domine quis sustinebit?
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
reliqua secretò.

Interim aspergit funus, & incensò adolet:

℣. Et nè nos inducas in tentationem. ℞. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi ℞. Erue Domine animam ejus. ℣. Requiescat

in pace. ℞. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℞. Et

clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spi-

Oremus.

Absolve quæsumus Domine animam famuli tui
N. (Sacerdotis si defunctus Sacerdos fuerit)
 vel famulæ tuæ, ut defunctus (vel defuncta) sæ-
 culo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis hu-
 manâ conversatione commisit, tu veniâ misericor-
 dissimæ pietatis absterge. Per Christum &c. **R.**
 Amen.

V. Requiem æternam dona ei Domine. **R.** Et lux perpetua luceat ei.
V. Requiescat in pace. **R.** Amen.

*Quando Cadaver effertur; Parochusque de domo procedens,
 statim gravi voce intonat Antiphonam: Exultabunt Domino, &
 Cantores inchoant Psalmum: Miserere mei Deus, secundum ma-
 gnam, &c. Clero alternatim prosequente; si longitudo itineris
 postulaverit, dicantur Psalmi Graduales: Ad Dominum cum tri-
 bularer clamavi. Vel alii Psalmi ex Officio mortuorum, & in
 fine cuiusque Psalmi dicatur: Requiem æternam dona ei Domine,
 Qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari de-
 bent usque ad Ecclesiam.*

*Ad ingressum Ecclesiæ vel cæmeterii repetitur Antiphona:
 Exultabunt Domino ossa humiliata. Deinde Responsorium: Quod
 etiam habetur in Directorio Chori.*

Subvenite Sancti Dei! occurrere Angeli Domini! Suscipientes ani-
 mam ejus. Offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Chri-
 stus, qui vocavit te, & in sinum Abrahamæ Angeli deducant te. Susci-
 pientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. Requi-
 em æternam dona ei Domine; & lux perpetua luceat ei. Offerentes
 eam &c.

Depositio feretro in medio Ecclesiæ, ita, ut defuncti pedes (si

fuerit Laicus) sint versùs altare majus; si verò fuerit Sacerdos (ut dictum est) caput sit versùs ipsum altare, cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediât, ut infra monebitur, dicatur Officium mortuorum, cum uno vel tribus Nocturnis & Laudibus (juxta loci consuetudinem) quemadmodum subsequitur. Clerus incipit Invitatorium: Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus. & repetitur à Choro: Regem, cui omnia, &c. si totum fit Officium, duplicantur Antiphonæ.

Ad finem Officii post Antiphonam Cantici Benedictus &c. Ego sum Resurrectio, dicitur Pater noster. V. Et nò nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo. V. A porta inferi. R. Erue Domine animam ejus. V. Requiescat in pace. R. Amen. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Absolve quæsumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Dum Officium in Ecclesia canitur, ad Laudes Sacerdos cum Ministris parat se pro Solenni Missa celebranda (si moris fuerit) ut in die depositionis Missale Romanum habet.


Finita Missa, Sacerdos deposita casula, seu planeta & manipulo, accipit pluviale nigri coloris, & Subdiaconus accipit Crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum Cruce, medius inter duos Scolytos, seu ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis, & omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, & stant in eis cui in feretro; tum sequitur Sacerdos cum Diacono & Assistente, alit-

que Ministris, & factâ reverentiâ altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retrò astantibus ei à sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo & navicula incensi, altero cum vase Aquæ benedictæ & aspersorio, & Acolytho, seu Clerico tenente librum, absolute dicit sequentem Orationem.

Non intres in Judicium cum servo tuo Domine; quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua judicialis Sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratiâ tuâ illi succurrente, mereatur evadere Judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculô Sanctæ Trinitatis. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Deinde Cantores incipient, Clero circumstante, sequens Responsorium. Libera me Domine, &c. ut habetur in Directorio Chori.

Dum cantatur prædictum Responsorium, Sacerdos Acolytho, vel Diacono ministrante, accipit incensum de navicula, & ponit in thuribulum, finito autem Responsoriô Chorus primus vel ipse Sacerdos dicit:




Kyrie e lei son.

& secundus Chorus respondet.



Christe e leison.

Deinde omnes simul dicunt.



Kyrie e lei son.

*Mox Sacerdos dicit clarâ voce: Pater noster, &c. reliquum dicitur secretò ab omnibus, & ipse interim accipit à Diacono vel Acolyto aspersorium Aquæ benedictæ, & factâ profundâ inclinatione Cruci, quæ est ex aduerso, Diacono, seu ministro genuflectente, & fimbrias pluuiæ sublevante circumiens feretrum, (si transit ante Sacramentum genuflectit) aspergit corpus defuncti, deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, & eodem modò circuit feretrum, & corpus incensat, ut asperferat; postea redditò thuribulò ei, à quo acceperat, stans in loco suo, Acolytò, seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit: **Ps.** Et ne nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **Ps.** A porta inferi. **R.** Erue Domine animam ejus. **Ps.** Requiescat in pace. **R.** Amen. **Ps.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **Ps.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui **N.** vel famulæ tuæ **N.** quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam à Sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perduci, ut quia in te speravit, & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Si Defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: pro anima famuli tui Sacerdotis, quam hodie, &c.

Finitâ Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc de-

ferendum sit, & dum portatur, Cantores cantant Antiphonam.
 In paradysum deducant te Angeli: in tuo adventu suscipiant te Martyres, & perducant te in civitatem sanctam Jerusalem: Chorus Angelorum te suscipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem. *Prout invenitur in Directorio Chori.*

Cum autem pervenerit ad Sepulchrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit dicens hanc Orationem.

Oremus.

DEUS, cujus miseratione animæ Fidelium requiescunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem, & quorum quarúmque corpora hinc sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis finè fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. *R.*
 Amen.

Dicta Oratione Sacerdos Aquâ benedictâ aspergat, deinde incenset corpus defuncti & tumulum.


Quando corpus aspergitur Aquâ benedictâ dicitur.
 lesti reficiat animam tuam Deus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Quando corpus incensatur dicitur: Odore cœlesti pascat animam tuam Deus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen *Et hoc in aspersione & incensatione corporum defunctorum semper observatur: dum tumulus aspergitur Aquâ benedictâ dicatur: Sanctificetur sepulchrum istud, in nomine Patris, &c.*

Deinde funus ponitur ad sepulchrum, & dicitur: Sume terra, quod tuum est, sumat Deus quod suum est, corpus de terra formatum est, spiritus de sursum inspiratus est.

Posteà Sacerdos ter projiciat terram super funus, dicendo:
Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

*Quòd si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso Re-
sponsoriò In paradisum, &c. & benedictione Sepulchri, si jam est
benedictum, prosequatur Officium, ut infra, quod nunquam o-
mittitur, & intonet Antiphonam.*



*& dicitur Canticum Benedictus
alternatim à Choro &
Clero.*

Ego sum resurrectio.

Quò finitò, repetitur Antiphona Ego sum resurrectio. *Post-
eà Sacerdos dicit:* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie elei-
son. Pater noster. *Interim corpus aspergit, & incensat.*

Ps. Et nò nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo. *Ps.*
A porta inferi. *R.* Erue Domine animam ejus. *Ps.* Requiescat in pace.
R. Amen. *Ps.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus
ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

FAc, quæsumus Domine, hanc cum servo tuo
defuncto misericordiam, ut factorum suorum,
in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis te-
nuit voluntatem, ut sicut hic eum vera fides jun-
xit fidelium turmis, ità illuc eum tua miseratio so-
ciet Angelicis choris. Per Christum Dominum
nostrum. *R.* Amen.

Si fuerit femina dicatur.

Oremus.

FAc, quæsumus Domine, hanc cum famula tua
defuncta misericordiam, ut factorum suorum,

in pœnis non recipiat vicem, quæ tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut hîc eam vera fides junxit fidelium turmis, ità illic eam tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

V. Requiem æternam dona ei Domine. **R.** Et lux perpetua luceat ei. **V.** Requiescat in pace. **R.** Amen. **V.** Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.

Postea servantur reliqua sicut dictum est supra fol. 157. & 158.

Deinde à sepultura in Ecclesiam vel in Sacristiam revertentes dicant sine cantu Antiph: Si iniquitates, cum Psalmo, De profundis, &c. Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Si verò ob rationabilem causam, videlicet, ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, prædictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus dici non potest; depositò in Ecclesia ferebrò cum corpore, dicatur saltem primus Nocturnus cum Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio. Regem cui omnia vivunt, venite, &c.

Et postea omnia alia dicantur, quæ supra præscripta sunt dicenda post Officium Mortuorum, & Missam.

Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unus Nocturnus cum Laudibus dici non possit, aliæ prædictæ Preces, & Suffragia, numquam omittantur.

Missæ verò, si hora fuerit congruens, ritù pro defunctis ut in die obitus præsentis corpore, non omittatur, nisi obstet magna diei solennitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat, & post Missam fiat ut supra.

Officium Defunctorum & Missa potest celebrari in die Dominico, vel Festo, quorum corpora sunt adhuc super terram secus si jam sunt sepulta. Sac: Cong: Rit: 25. Maji 1603. &c.

Officium Anniversarium, vel Septennarium aut Tricennarium Defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico vel festivo transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. Sac: Congr: Rit:

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Dicitur in Choro in die Depositionis, & aliis diebus pro temporis opportunitate, & Ecclesiarum consuetudine, ut supra dictum est. In die verò Depositionis

Et tertio, septimo, & anniversario, duplicantur Antiph. Et in fine Psalmorum dicitur: Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Etiam si pro uno tantum fiat Officium. Quando in fine Orationis Dominica proferendum est clara voce: Et ne nos inducas, &c. semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba: Pater noster: alias nunquam proferuntur, sed dicitur totum secretò. Lohner de Horis Canon. Part: 5. tit: 32. num: 2.

Ad Vesperas absolutè incipitur ab Antiphona.



Placebo Domino.

E v o v a e.

- Psalmus 114.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

Circumdede runt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem, & dolorem inveni: & nomen Domini invocavi.

O Domine libera animam meam: misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.

Converte anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino in regione vivorum.

Requiem æternam dona &c.

Antiphona.



Placebo Domino in regione vivorum.



Antiph: Hei mi hi.

E v o v a e.

Psalmus 119

ADDominum cùm tribularer clamavi: & exaudivit me.


Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam.

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.


Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.



Antiph.

Hei mihi Domine, quia incolatus



meus pro longa tus est.



Antiph.

Dominus custodit te.

E v o v a e.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israël.

Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Antiph. Do mi nus custodit te, ab omni ma-

lo, custo diat animam tu am Do minus.


Antiph. Si i ni qui ta tes. E v o v a e.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.
Acustodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Antiph. Si iniquitates observaveris Domi-

ne, Domine quis sustinebit.

*Antiph.*

Opera.

E v o v a e.

Psalmus 137.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.


Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.



Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.


Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum nè despicias.

Requiem æternam dona eis Domine. Et lux perpetua luceat eis.

*Antiph.*

Opera manuum tuarum Domine nè


despicias. *ψ.* Audiavi vocem de cælo dicentemmihi. *℞.* Beati mortui qui in Domino moriuntur

Ad Magnificat.*Antiphona.*

Om ne E v o v a e.

Magnificat anima
mea, &c. *p. 254.**Antiphona.*

Om ne, quod dat mihi



Pa ter, ad me ve niet, & eum qui venit ad



me, non ejici am fo ras.

Sequentes Preces dicuntur flexis genibus, similiter & ad Laudes: Pater no-
ster, *secretò.* *v.* Et nè nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo.

Psalms 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus: in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, Pupillum & Viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion: in generationem & generationem.

Requiem æternam dona eis Domine, &c.

℣. A porta inferi. ℞. Erue Domine animam ejus.

℣. Requiescat in pace. ℞. Amen.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

In die depositionis Defuncti.

Oratio.

Absolve, quæsumus Domine, animam Famuli tui, *N. vel* Famulæ tuæ, ut defunctus, *vel* defuncta sæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Vel.

DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere; te supplices exoramus pro anima Famuli tui, *N. vel* Famulæ tuæ, quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem: sed jubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad Patriam Paradisi perducere: ut quia in te speravit, & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

In die tertio, septimo, & trigesimo depositionis Defuncti.

Oratio.

Quæsumus Domine, ut animæ Famuli tui, *N. vel* Famulæ tuæ, cujus Depositionis diem tertium, *vel* septimum *vel* trigesimum commemoramus, Sanctorum, atque Electorum tuorum largiri digneris consortium: & rorem misericordiæ tuæ perennem infundas. ℞. Amen.

In Anniversario. Oratio.

DEUS indulgentiarum, Domine, da animæ Famuli tui, **N.** *vel* Famulæ tuæ, *vel* animabus Famulorum, Famularumque tuarum, cujus, *vel* quorum Anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

*Aliæ Orationes diversæ pro Defunctis.**Pro Summo Pontifice defuncto.**Oratio.*

DEUS, qui inter Summos Sacerdotes Famulum tuum, **N.** ineffabili tuâ dispositione connumerari voluisti: præsta quæsumus, ut qui unigeniti Filii tui Vices in terris gerebat, Sanctorum tuorum Pontificum consortio perpetuo aggregetur. Per eundem Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Pro defuncto Episcopo. Oratio.

DEUS, qui inter Apostolicos Sacerdotes Famulum tuum, **N.** Pontificali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Si fuerint plures, dicatur in numero plurali.

Pro Episcopo Cardinali defuncto dicatur: Famulum tuum, **N.** Episcopum Cardinalem Pontificali fecisti dignitate, &c.

Pro Presbytero Cardinali dicatur: Famulum tuum, **N.** Presbyterum Cardinalem, Sacerdotali fecisti, &c.

Pro Diacono autem Cardinali dicitur Oratio: Inclina Domine, *quæ habetur paulò infrà hoc modo:* Ut animam Famuli tui **N.** Diaconi Cardinalis, quam de hoc sæculo, &c.

Pro defuncto Sacerdote. Oratio.

DEUS, qui inter Apostolicos Sacerdotes, Famulum tuum, **N.** Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus,

ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Vel Oratio.

PRæsta quæsumus Domine, ut anima Famuli tui, *N.* Sacerdotis, quem in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, in cælesti Sede gloriosa semper exaltet. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Pro uno Defuncto. Oratio.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam Famuli tui, *N.* quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Pro una Defuncta. Oratio.

Quæsumus Domine, pro tua pietate, miserere animæ Famulæ tuæ, *N.* & à contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restitue. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Pro Defunctis Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus.

DEUS, veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis Fratres, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt: Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ Beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Pro Fidelibus Defunctis generalis

Oratio.

Fidelium Deus, omnium Conditor, & Redemptor, Animabus Famulorum, Famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper op-

taverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.


V. Requiem æternam dona eis Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

AD MATUTINUM.




Invitatorium. Regem cui omnia vivunt.



Chorus repetit.
Regem, &c.

Ve nite adoremus.


Psalms 94.



Enite exultemus Domino, ju bi le-




mus Deo sa lu ta ri nostro : præ occu pe-




mus faciem ejus in confessio ne & in psal-

mis jubilemus ei. Regem. Quoniam Deus
 magnus Dominus, & Rex magnus super omnes
 deos; quoniam non repellet Dominus plebem
 suam, quia in manu ejus, sunt omnes fines
 terræ, & altitudines montium ipse conspicit.
 Venite: Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud,
 & aridam fundaverunt manus ejus: Venite a-



doremus, & procidamus ante Deum: ploremus



coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Domi-



nus Deus noster: nos autem populus ejus, & o-



ves pascuæ ejus. Regem. Hodie si vocem ejus



audie ri tis, nolite obdurare corda vestra, sicut in



exacerbatione, secundum diem tentati onis in



deserto: ubi tentaverunt me Patres vestri, pro-

baverunt, & viderunt opera mea. Venite.

Quadraginta annis proximus fui generationi

huic, & dixi semper hi errant corde: ipsi verò

non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira

mea, si introibunt in requiem meam.

Regem. Requiem æternam dona eis Domine,

& lux perpetua luceat eis. Venite. Regem

cui

cui omnia vivunt. Venite adoremus.

Antiphona. Di ri ge. E v o v a e.

Psalmus 5.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.
Intende voci orationis meæ: Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: Domine, manè exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.
Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: iudica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te Domine.

Et latentur omnes, qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.

Domine, ut scutô bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.



Antiphona. **D**irige, Domine Deus meus in con-



spectu tuo viam meam.



Antiph: **C**onverte Domine. E v o v a e.

Pfal. 6.

Domine, nè in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.
Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Converte Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.



Antiphona. Convertere Domine, & eripe ani-



mam meam: quoniam non est in morte, qui me-



mor sit tui.



Antiphona. Ne quando. E v o v a e.

Psalmus 7.

Domine Deus meus, in te speravi: saluum me fac ex omnibus persequen-
tibus me, & libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam: dum non est qui redimat neque
qui saluum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuendis mihi mala: decidam merito ab inimicis meis
inanis.

Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in
terra vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti: & synago-
ga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.

Judica me Domine secundum iustitiam meam: & secundum innocentiam
meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, & dirigis iustum: scrutans corda, & renes Deus.

Iustum adiutorium meum à Domino: qui salvos facit rectos corde.

Deus Iudex iustus, fortis, & patiens: numquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum iustitiam ejus: & psallam nomini Domini Altissimi.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Antiphona. Nè quando rapiat ut leo animam

meam, dum non est qui re dimat, neque

qui salvum fa ci at. *ψ.* A porta inferi.

R. Erue Domine animas eorum.

Pater noster. *Totum secretò.*

Lectioes leguntur sine Absolutione, Benedictione, & Titulo.


Lectio I. Job. 7. c.

Parce mihi Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Ulquequò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Peccavi: quid faciam tibi, ô Custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi met ipsi gravis. Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferis iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam, & si manè me quaesieris, non subsistam.

Lectioes terminantur sine, Tu autem, vel alia Conclusionè.



B. Credo quod Redemptor me us vi-



vit, & in novissimo die, de terra sur-



re etu rus sum: Et in carne mea, vide-



bo De um, Salva to rem me um.



Y. Quem visurus sum ego ipse, & non alius,



& oculi mei conspecturi sunt. Et in carne.

Lectio II. *Job. 10. Cap.*


Tædet animam meam vitæ meæ: dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur, si calumniaris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Numquid dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias, quia nihil impium fecerim, cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.




R. Qui Lazarum refuscitasti à monumento fatidum:



Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgen-



ti æ. **V.** Qui venturus es judicare vivos &



mor tuos, & sæculum per ignem. Tu eis.

Lectio III. Job. 10. Cap.

MANUS tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me? Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.

R. Domine, quando veneris judicare terram,

ubi me abscondam à vul tu iræ tuæ? **Q**uia pecca-

vi nimis in vi ta mea. **R.** Comissa mea paveſco,


& ante te erubescò: dum veneris judicare no li me

condemna re.

Quia peccavi. **R.** Requiem æternam



dona eis Domine : & lux perpe tua lu ce at



e is. Quia peccavi.

IN SECUNDO NOCTURNO.



Antiphona. In loco pascuæ. E v o v a e.

Psalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super Aquam refectiois educavit me : animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ : propter nomen suum.

Nam, & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecumes.

Virga tua, & baculus tuus : ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam : adversus eos, qui tribulant me.


Impinguasti in oleo caput meum : & calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me : omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini : in longitudinem dierum.

Requiem æternam dona eis Domine,

Et lux perpetua luceat eis.



Antiphona. In loco pascuæ, ibi me collocavit.



Antiphona. De lieta. E v o v a e.

Psalmus 24.

AD te Domine levavi animam meam : Deus meus in te confido , non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei : etenim universi , qui sustinent te , non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

Vias tuas Domine demonstra mihi : & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua , & doce me : quia tu es Deus Salvator meus , & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine : & misericordiarum tuarum , quæ à sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ , & ignorantias meas nè memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in iudicio : docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini , misericordia & veritas : requirentibus testamentum ejus , & testimonia ejus.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo : multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei in via , quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : & semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum : & testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me , & miserere mei : quia unicus & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam & laborem meum : & dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos , quoniam multiplicati sunt , & odiò iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, & erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.
 Innocentes & recti adhæserunt mihi : quia sustinui te.
 Libera Deus Israël, ex omnibus tribulationibus suis.
 Requiem æternam dona eis Domine.
 Et lux perpetua luceat eis.

Antiphona. Delicta juventutis meæ, & ignorantias

meas nè memineris Domine.

Antiphona. Credo vi de re. E v o v a e.

Psalmus 26.

Dominus illuminatio mea, & salus mea : quem timebo ?
 Dominus protector vitæ meæ : à quo trepidabo ?

Dum appropiant super me nocentes : ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei : ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant adversum me castra : non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium : in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini
 omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini : & visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me
 in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me : & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : canta-
 bo, & psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, quâ clamavi ad te : miserere mei, &
 exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Nè avertas faciem tuam à me: nè declines in ira à servo tuo.

Adjutor meus esto, nè derelinquas me: neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Nè tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Antiphona.

Credo videre bona Domini in terra

viventium. *℣.* Collocet eos Dominus cum principi-

pibus. *℞.* Cum principibus populi sui.

Pater noster. *Totum secretò.*


Lectio IV. *Job. 13 Cap.*

Responde mihi: Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod ventò rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me


amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tineâ.




Ÿ. Me mento mei Deus, quia ventus est



vi ta me a. Nec aspiciat me visus ho mi nis.



Ÿ. De profundis clamavi ad te Domine Domine exaudi




vocem me am. Nec aspiciat me visus hominis.

LECTIO V. *Job. 14.*

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarius ejus.

Ÿ. Hei



℞. He i mihi Domine , quia peccavi ni mis in



vita me a : quid faciam mi ser ? ubi fugi-



am, nisi ad te De us me us ? Misere re



me i , dum veneris in novissimo di e.



℥. A nima mea turbata est valde , sed tu Do-



mine suc cur re e i. Misere re.

Lectio VI. *Job. 14. Cap.*

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursus vivat? Cunctis die-

bus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccatis meis.

R. Ne recorde ris pecca ta mea Domine. Dum vene-

ris judica re sæculum per ignem. **ψ.** Di rige

Domine Deus me us in conspectu tu o vi am

me am. Dum veneris judica re.

ψ. Re quem æternam dona eis Domine, & lux

perpetua lu ceat e is. Dum veneris.

IN TERTIO NOCTURNO.



Antiphona. Complacet. E v o v a e.

Psalmus 39.

EXpectans expectavi Dominum: & intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miseræ, & de luto sæcis.

Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum: carmen Deo nostro.

Videbunt multi, & timebunt: & sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi. Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi Justitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutarem tuam dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine nè longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complacet tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

Confundantur & reveantur simul, qui quærunt animam meam: ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, & reveantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adjuutor meus, & protector meus tu es: Deus meus nè tardaveris.

Requiem æternam dona, &c.

Antiph: **C**omplaceat tibi Domine, ut eripias me:

Domine ad adjuvandum me respice.

Antiphona. Sana Domine. E v o v a e.

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.


Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.


Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo, & usque in sæculum: fiat, fiat.

Requiem æternam dona eis Domine. Et lux perpetua &c.



Antiphona. Sana Domine animam meam, quia pec-



cavi tibi.



Antiphona. Si ti vit. E v o v a e.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitavit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?


Dum confringuntur ossa mea: exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima meâ? & quare conturbas me?


Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. **R**equiem æternam &c.



Antiphona. **S**i ti vit ani ma meâ ad Deum vivum,



quando veniam & apparebo ante faciem Domini.



V. Nè tradas bestiis animas confitentes tibi.



R. Et animas pauperum tuorum nè obli visca ris



in finem.

Pater noster. *totum secretò.*

Lectio VII. Job. 17.

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursus post tenebras spero lucem. Si sustinero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & Soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstatio mea, & patientiam meam quis considerat.

R. Peccantem me quo ti die, & non me pœnitentem,

timor mortis conturbat me. Quia in inferno nulla

est redemptio, miserere mei Deus, & salva me.

V. Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua,

li bera me. Qui a.

Lectio VIII. Job. 19.


Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. Misere mini mei, misere mini mei, saltèm vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in filice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surreturus sum: & rursus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

ry. Domine, secundùm actum meum noli me judica-


re nihil dignum in conspectu tuo egi: Ideò

deprecor ma jestatem tuam. Ut tu Deus deleas

iniquitatem meam. **ry.** Ampli us




lava me Domine ab in iu sti tia me a,



& à delicto me o munda me. Ut tu Deus.

LECTIO IX. *Job. 10. Cap.*


QUare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, nè oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevè? Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseræ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.



Ps. Libera me Domine de vi is inferni, qui portas



areas confregisti, & visitasti infernum, & dedisti



eis lumen, ut viderent te: Qui erant in pœnis tene-




bra rum. *ψ.* **C**lamantes, & di centes, adveniisti redem-



ptor no ster. Qui erant. *ϣ.* **R**equiem æternam dona



eis Domine: & lux perpetua lu ce at e is.




Qui erant.

*In Die commemorationis omnium fidelium Defunctorum,
& quando dicuntur novem Lectiones.*




LI bera me Do mine de mor te æ-



ter na in die illa tremen da. Quando cœ li


mo-



mo vendi sunt, & ter ra. Dum ve-



neris ju di ca re sæ culum per ignem.



ŷ. Tremens factus sum ego, & ti me o, dum discussio



venerit, atque ven tu ra i ra. Quando cæ li mo-



vendi sunt, & ter ra. *ŷ.* Dies il la, dies iræ,



calamitatis, & mi se ri æ, dies magna & a ma ra



valde, dum ve

neris. *ŷ.* Requiem æ-



ternam dona e i Domine, & lux perpetua lu-



ce at ei. Li bera me.

*Dum cantatur prædictum Responsorium, Sacerdos Acoly-
tho; seu Diacono ministrante, accipit incensum de navicula, &
ponit in thuribulum, & finitò responsorio, Cantor cum primo
Choro dicit.*



Kyrie e le i fon.

*& Chorus secundus
respondet.*



Christe e le i fon.

*Deinde omnes
simul dicunt.*



Kyrie e le i fon.

AD LAUDES.

Absolutè incipitur Antiphona.



Exultabunt Domino

E v o v a e.

Psalms 50.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi , & malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis , & vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopò , & mundabor : lavabis me & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiæ : & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Nè projicias me à facie tua : & Spiritum sanctum tuum nè auferas à me.

Redde mihi lætitiæ salutis tui : & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus , Deus salutis meæ : & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies : & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses Sacrificium , dedissem utique : Holocaustum non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : Cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium iustitiæ , Oblationes , & Holocausta : tunc imponent super Altare tuum vitulos.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Antiph: Exultabunt Domino , ossa humiliata.

Antiphona. Exaudi Domine. E v o v a e.

Psalmus 64.

TEdecet Hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi Orationem meam : ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos : & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.

Replebi mur in bonis domus tua : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster : spes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ : qui conturbas profundum maris, & sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur Gentes, & timebunt qui habitant terminos à signis tuis : exitus matutini & vespere delectabis.

Visitasti Terram, & inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : quoniam ita præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætatur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : & campi tui replebuntur uber-

Pinguescent speciosa deserti : & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim Hymnum dicent.

Requiem æternam dona eis Domine : Et lux perpetua &c,



Antiphona. **E**xaudi Domine, orationem meam, ad



te omnis ca ro veniet.



Antiphona. Me suscepit. Evovae.

Psalms 62.

Deus Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sirivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, & invia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea potestate: me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalms 66.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi Populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent Gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant, eum omnes fines terræ.

Requiem æternam dona eis Domine. Et lux, &c.



Antiphona. Ne susce pit, dextera tua Domine.



Antiphona. A porta inferi. E v o v a e.

Canticum Ezechia. Isaia 38.

Ego dixi: In dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.
Quasi residuum annorum meorum: dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est; & convoluta est a me: quasi tabernaculum pastorum.

Precisa est velut a texente vita mea: dum adhuc ordire, succidit me?
De mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane: quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Atenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelsum.

Domine vim patior, responde pro me: quid dicam, aut quid respondeat mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animae meae.

Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.


Domine salvum me fac: & Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus nostrae in domo Domini.

Requiem aeternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.



Antiphona. A porta inferi , e rue Domine a-



nimam meam.



Antiphona. Omnis spiritus. E v o v a e.

Pſalmus 148.

Laudate Dominum de Cœlis : laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum Sol & Luna : laudate eum omnes Stellæ & Lumen.

Laudate eum Cœli Cœlorum : & Aquæ omnes quæ super Cœlos ſun-
laudent nomen Domini.

Quia ipſe dixit & facta ſunt : ipſe mandavit , & creata ſunt.

Statuit ea in æternum , & in ſæculum ſæculi : præceptum poſuit , & non
præteribit.

Laudate Dominum de terra : Dracones , & omnes Abyſſi.

Ignis , grando , nix , glacies , ſpiritus procellarum : quæ faciunt verbum
ejus.

Montes , & omnes Colles : ligna fructifera , & omnes Cedri.

Beſtiæ , & univerſa Pecora : Serpentes , & Volucres pennatæ.

Reges terræ , & omnes Populi : Principes , & omnes Judices Terræ.

Juvenes , & Virgines , Senes cum Junioribus , laudent nomen Domini
quia exaltatum eſt Nomen ejus ſolius.

Confefſio ejus ſuper Cœlum & Terram : & exaltavit Cornu Populi ſui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus : Filiis Iſraël populo appropinquanti ſibi

Psalmus 140.

Cantate Domino Canticum novum: laus ejus in Ecclesia Sanctorum.
 Læteretur Israël in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in Rege suo.
 Laudent Nomen ejus in Choro: in tympano & psalterio psallant ei.
 Quia beneplacitum est Domino in Populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
 Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.
 Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in Populis.
 Ad alligandos Reges eorum in compedibus: & Nobiles eorum in manibus ferreis.

Ut faciant in eis Judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.
 Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.


Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in Psalterio, & Cithara.
 Laudate eum in Tympano, & Choro: laudate eum in Chordis, & Organo.

Laudate eum in Cymbalis benesonantibus: laudate eum in Cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Requiem æternam dona eis Domine, &c.




Antiphona. Omnis spiritus laudet Dominum.



Ps. Audivi vocem de cælo dicentem mihi.



Ps. Beati mortui qui in Domino moriuntur.



Antiphona. Ego sum. E v o v a e.

Canticum Zachariæ. *Luca 1.*

Benedictus Dominus Deus Israël: quia visitavit, & fecit redemptionem Plebis suæ.

Et erexit Cornu salutis nobis: in Domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum: qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus,

Salutem ex inimicis nostris: de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris: & memorari Testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum: daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.


Et tu Puer, Propheta Altissimi vocaberis: præbis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis Plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.


Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam, &c.



Antiphona. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in



me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit,

& credit in me, non morietur in æternum.

Deinde Pater noster. Psalmus, De Profundis. Pagina cum Precibus & Orationibus, Officio congruentibus, ut supra in Vesperis.

DE OFFICIO FACIENDO IN EXEQUIIS, ABSENTE CORPORE DEFUNCTI, ET IN DIE TERTIO, SEP-TIMO, TRIGESIMO, ET ANNIVERSARIO.

S*I faciende sine exequia absente corpore, eo die, quo bene visum fuerit, in Ec-*
clesia dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis & Laudibus, & An-
tiph. duplicatis, vel saltẽm unum Nocturnum, cum tribus Lectionibus, & Lau-
dibus, & Missa. Post Missam celebrans deponit manipulum, & planetam,
accipit pluviale nigri coloris, & precedentibus Subdiacono cum Cruce, & Clero,
& duobus Ceroferariis cum luminaribus accensis, & duobus Acolythis, uno cum
navicula incensi, & thuribulo, & altero cum vasculo Aqua benedicta, & Asper-
sorio, & hoc libro Rituali, accedit cum Diacono à sinistris ad locum tumuli, &
ibi à circumstante Clero cantatur Respon; Libera me Domine, &c. ut supra.
Interim ministratur incensum, benedicitur, & imponitur in thuribulum. Postea
dicitur. Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. Sacerdos dicit: Pater
noster, &c. & dum secretò dicitur, accipit aspersorium, circuit tumbam asper-
gens, deinde incensat eodem modo, ut dictum est.

P*otes, qualiter lectus mortuorum vel ipsum corpus defuncti (si hoc presens fu-*
rit) aspergi & thurificari debeat? Respondetur, quando dicitur versus à mi-
nistro laudam esse naviculam Diacono, hic ministrabit naviculam Officianti, qui
thus in thuribulum imponet. Postquam per chorum dictum fuit ultimum Ky-
rie eleison, stans de recto capite voce intelligibili dicit Pater noster, quod secre-
tò complebit: & interim acceptò aspersorio cum aqua benedicta de manu Dia-
coni, asperget lectum vel corpus circumcirca ambulans ter aspergens quodlibet
latus, vel corporis latus: Diacono à dextris comitante & simbriis pluvialis sul-
levante: quando transbunt Crucem, reverentiam faciet. Postquam cum aspe-
sorio circumvult lectum, vel corpus, & ad locum suum rediit, ibidem ab eode
 D

Diacono capiet thuribulum, & lectum vel corpus similiter circumcirca thurificabit in quolibet latere ter thuribulum ducens. Cùm redierit post thurificationem stans dicet.

Ps. Et ne nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **Ps.** A porta inferi. **R.** Erue Domine animam ejus. **Ps.** Requiescat in pace. **R.** Amen. **Ps.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **Ps.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui, **N.** *vel* famulæ tuæ, **N.** ut defunctus, (*vel* defuncta) sæculo, tibi vivat: & peccata, quæ per fragilitatem carnis humanæ conversatione commisit, tu veniã misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Vel dicatur Oratio, quæ dicta est in Missa, vel alia conveniens. **Ps.** Requiem æternam dona ei Domine. **R.** Et lux perpetua luceat ei. **Ps.** Requiescat in pace. **R.** Amen.

Si officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio, & versus dicantur in plurali numero, si fuerit mulier, in genere feminino; si fuerit Sacerdos, vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, &c.

Prædictus autem Officii ritus pro defunctis adultis tam Sacerdotibus, & Clericis, quàm secularibus, & laicis servari debet in Officio sepultura in die depositionis, sive in die tertio, septimo, trigesimo, & anniversario.

CONDUCTUS DEFUNCTORUM.

Finitâ Missâ Sacerdos depositâ casulâ, seu planetâ & manipulò, accipit Crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum cruce medius inter duos Acolytos, seu ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis: & omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, & stant in circuitu feretri; tum sequitur Sacerdos cum Diacono, & Assistente, aliisque ministris, & factâ reverentiâ Altari, sistit se contra crucem ad pedes defuncti, retrò stantibus ei à sinistris duobus Acolytis, uno cum thuribulo. & navicula accensi, altero cum vase Aquæ benedictæ, & aspersorio: & Acolyto, seu Clerico tenente librum dicit cum Clero.

Psalmus 145.

Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea ,
psallam Deo meo quàm diu fuero. Nolite confidere in prin-
cipibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus
ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogi-
tationes eorum. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus: spes ejus in Do-
mino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis
sunt. Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patien-
tibus, dat escam esurientibus. Dominus solvit compeditos, Dominus
illuminat cœcos. Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos. Do-
minus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccato-
rum disperdet. Regnabit Dominus in sæcula: Deus tuus Syon, in ge-
nerationem & generationem.

Requiem æternam dona ei Domine. **Et** lux perpetua luceat ei.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. V. Et
nè nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo.

Oremus.

Obscramus misericordiam tuam Omnipotens æterne De-
us, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es,
ut spiritum & animam famuli tui, quem (famulæ tuæ, quam)
hodierna die, rebus humanis eximi, & ad te accersiri jussisti,
non ei dominantur umbræ mortis, nec regat chaos, & caligo
tenebrarum: sed exutus (exuta) omnium criminum labe: in
sinu Abrahæ Patriarchæ collocatus (collocata) locum refrige-
re adeptum (adeptam) esse gaudeat; ut cum dies judicii ad-
venerit, cum Sanctis & electis tuis, jubeas eum (eam) resusci-
tari. Per Christum Dominum nostrum. **R. Amen.**

Responsorium.

Antequam nascerer novisti me: & ad imaginem tuam Domine plas-
masti me. Modò reddo tibi Creatori animam meam.

Commiffa mea Domine paveſco, & ante te erubeſco, dum veneris judicare, noli me condemnare. **M**odò reddo &c. **K**yrie eleiſon. **C**hrifte eleiſon. **K**yrie eleiſon. **P**ater noſter. **E**t nè nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo.

Oremus.

OMnipotentis Dei miſericordiam deprecemur fratres chariſſimi, cujus judiciò aut naſcimur aut finimur, ut ſpiritu & animam fratris noſtri (ſororis noſtræ) quem Domini pietas de incolatu hujus mundi tranſire præcepit, requies æterna ſuſcipiat, & eum in beata reſurrectione repræſentet, & in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob collocare dignetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. **R.** Amen.

Reſponſorium.

Qui Lazarum reſuscitaſti de monumento fœtidum: Tu ei Domine dona requiem, & locum indulgentiæ. **R.** Qui venturus es judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Tu ei, &c. **K**yrie eleiſon. **C**hrifte eleiſon. **K**yrie eleiſon. **P**ater noſter. **R.** Et nè nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo.

Oremus.

DEum judicem univerſitatis, Deum cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, humiliter deprecemur fratres chariſſimi, pro ſpiritu chari noſtri (charæ noſtræ) ut eum Dominus ad requiem collocare dignetur, & in parte primæ reſurrectionis reſuſcitet, præſtante eodem Domino noſtro JEſu Chriſto, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. **R.** Amen.

Reſponſorium.

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus. Offerentes eam in conſpectu Altiffimi. **R.** ſuſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in ſinu Abrahæ Angeli de-

ducant te. Offerentes eam, &c. **Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.** *ψ.* **Et nē nos inducas in tentationem.** *℞.*
Sed libera nos à malo.

Oremus.

DEus qui es uniuersorum creator & conditor, qui es tuorum beatitudo sanctorum: te suppliciter quæsumus, præsta nobis petentibus, ut spiritum fratris nostri, (sororis nostræ,) à corporeis nexibus absolutum, in prima resurrectione facias præsentari. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* **Amen.**

DEINDE
ITUR AD SEPULCHRUM.

Responsorium.

Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda:
 * Quando cœli movendi sunt & terra:

* Dum veneris iudicare sæculum per ignem.

ψ. **Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando.** *ψ.* **Dies illa dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Dum veneris.**

Requiem æternam. Libera me. *Usque ad primum versum.*

Psalms 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Sustinuit anima mea in verbo eius: Speravit anima mea in Domino. A custodia matutina usque ad noctem speret Israël in Domino. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus. **Requiem æternam dona ei Domine. Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.**

Ps. Et ne nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos a malo. **Ps.** A porta inferi. **R.** Erue Domine animas eorum. **Ps.** Credo videre bona Domini. **R.** In terra viventium. **Ps.** Requiem æternam dona eis Domine. **R.** Et lux perpetua luceat eis. **Ps.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **Ps.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo,

Oremus. Pro Defuncto.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui **N.** quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Pro Defuncta.

Quæsumus Domine pro tua pietate, miserere animæ famulæ tuæ, **N.** & à contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restituæ. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Pro Sacerdote Defuncto.

Concede quæsumus, omnipotens Deus, animæ famuli tui **N.** Sacerdotis, felicitatis æternæ consortium, cui donasti sacri altaris tui consequi ministerium. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Ps. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. **Ps.** Requiescant in pace. **R.** Amen.

Post Salve Regina.

✠. In omni tribulatione & angustia nostra.

✠. Succurre nobis Beatissima Virgo Maria.

Oremus.

Interveniat pro nobis quæsumus Domine JESU Christe nunc & semper & in hora mortis nostræ, apud clementiam tuam piissima Virgo Maria Mater tua, cujus sacratissimam animam, in hora benedictæ passionis, & amaræ mortis tuæ, gladius doloris pertransivit, per te JESU Christe Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto, vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Poterit etiam addi sequens Oratio.

✠. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

✠. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus.

Domine JESU Christe Fili Dei vivi pastor bone, qui dixisti: nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, quæso, pone amarissimam passionem, & mortem inter animas nostras peccatrices, & districtum judicium tuum, & parce peccatis nostris, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.


Inrimis adnoven di sunt Parocho, ut juxta vetustam, & laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus, & parvis cæmeteriorum, & Ecclesiarum sepulturis; sed ut pro illis Parocho sibi Ecclesias, aut illarum cæmeteria, quatenus commodè fieri possent, forent, & separatos ab aliis loculos, & sepulturas habeant, seu fieri curent, quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante matris discreti conscriberunt.

II. In funere parvulorum, ut plurimum non pullantur campanæ; quod si illorum, non sine ingubri; sed potius festivo pulsari debent.

III. Si contingat infantes solenniter sepeliri, canantur in domo vel Ecclesia res Nocturni ex Psalmis Gradualibus apud feretrum; deinde in Ecclesia pramittatur sacrum Vocivum de Angelis; desuper habeatur Exhortatio funebris; ultimo conductus cum reliquis caeremoniis hic expressis.

ORDO SEPELIENDI PARVULOS.


Cum igitur infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur juxta aetatem, & imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis, & odoriferis in signum integritatis carnis, & virginitatis, & Parochus superpellicè, & stola albâ induitur, & alii de Clero, si adsint, precedente Crucce, quæ sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aspersorium deferente, Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit.




Antiphona. Sit nomen Domini. E v o v a e.

Psalmus 112.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & usque in sæculum.
Asolis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.
Excellsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria eius.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra?
Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.
Ut collocet eum cum Principibus: cum Principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.



Antiphona. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc,



& usque in sæculum.

Dum portatur ad Ecclesiam, dicatur Psalmus: Beati immaculati, &c. Et si tempus superest, dici potest Psalmus: Laudate Dominum de cœlis, cum aliis duobus sequentibus, Et in fine Gloria Patri, &c. Cùm autem pervenerint ad Ecclesiam, dicatur:



Antiphona. Hic accipi et.

E v o v a e.

Psalmus 23.

Domini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.


Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.


Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.


Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.



Antiphona. Hic accipi et, benedictionem à Domino



& misericordiam à Deo salutari suo, quia hæc est




gene ratio quærenti um Dominum.

Postea dicitur, Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison. **P**ater noster *in secreto*. *Interim corpus aspergit*. **ψ**. Et nè nos inducas in tentationem. **℞**. Sed libera nos à malo. **ψ**. Me autem propter innocentiam suscepisti. **℞**. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. **ψ**. Dominus vobiscum. **℞**. Et cum spiritu tuo.

Oremus.


OMnipotens & mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte Baptismatis dum migrant à sæculo, sinè ullis eorum meritis vitam illicò largiris æternam, sicut animæ hujus parvuli hodie credimus te fecisse; fac nos quæsumus Domine, per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum huc purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum beatis parvulis perrenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. **℞**. Amen.

Dum portatur ad tumulum, & etiamsi tunc non portetur, dicitur:



Antiphona. Juvenes & virgines. **E v o v a e**.

Psalms, Laudate Dominum de Cælis, &c. *ut supra* Pag. 201. *In fine Gloria Patri, &c. & repetitur Antiphona.*



Juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent



nomen Domini.


Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison. **P**ater noster. **ψ**. **E**t
 nō nos inducas in tentationem. **℞**. **S**ed libera nos à malo. **ψ**. **S**inite par-
 vulos venire ad me. **℞**. **T**alium est enim Regnum Cœlorum. **ψ**. **D**o-
 minus vobiscum. **℞**. **E**t cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ puritatis amator, qui
 animam hujus parvuli ad Cœlorum Regnum hodie mise-
 ricorditer vocare dignatus es, digneris etiam Domine ita no-
 biscum misericorditer agere, ut meritis tuæ sanctissimæ Passio-
 nis, & intercessione Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium
 Sanctorum tuorum in eodem Regno nos cum omnibus Sanctis
 & Electis tuis semper facias congaudere. Qui vivis & regnas
 cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæ-
 cula sæculorum. **℞**. Amen.

*Deinde Sacerdos corpus aspergat Aquâ benedictâ, & thuri-
 ficet, similiter & tumulum, postea sepeliatur.*

Cum autem à sepultura revertuntur in Ecclesiam, dicatur.



Antiphona. Benedi cite. E v o v a e.

Canticum trium Puerorum. Daniel. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate & superexaltate eum in
 sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino : benedicite Cœli Domino.

Benedicite Aquæ omnes quæ super Cœlos sunt Domino : benedicite om-
 nes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol & Luna Domino : benedicite Stellæ Cœli Domino.

Benedicite omnis Imber , & Ros Domino : benedicite omnes Spiritus Dei Domino.

Benedicite Ignis & Æstus Domino : benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores , & pruina Domino : benedicite gelu , & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino : benedicite noctes , & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino : benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino : benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria , & flumina Domino.

Benedicite cete , & omnia quæ moventur in aquis Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestia & pecora Domino : benedicite Filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum : laudet , & superexaltet eum in sæcula.


Benedicite Sacerdotes Domini Domino : benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus , & animæ justorum Domino : benedicite Sancti , & humiles corde Domino.

Benedicite Anania , Azaria , Misael Domino : laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem , & Filium cum Sancto Spiritu : laudemus , & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento Cœli : & laudabilis , & gloriosus , & superexaltatus in sæcula.



Antiphona. Benedicite Dominum omnes electi ejus,



agite di es læ ti tia ; & confite mini illi.

Deinde ante Altare dicit Sacerdos. ✠. Dominus vobiscum. *v.*
Et cum spiritu tuo. E e 3 *Ore-*

Oremus.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominúmque dispensas, concede propitius: ut à quibus tibi ministrantibus in Cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. **R. Amen.**

DE SACRAMENTO MATRIMONII.



Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primùm cognoscat ex his ad quos spectat, qui & quales sint, qui matrimonium contrahere volunt: An inter eos sit aliquod Canonicum impedimentum: Utrùm spontè, & liberè,

& secundùm honestatem Sacramenti velint contrahere: Utrùm sint in ætate legitima; ut vir saltèm quatuordecim, mulier verò duodecim annos expleverit, & uterque sciant rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

Noverit ex probatis Auctoribus, quæ sint Canonica impedimenta matrimonii contrahendi, & quæ contractum dirimant; & qui sint gradus consanguinitatis & affinitatis, & itèm cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractæ.

Habeat imprimis ipse bene cognita præcepta illa omnia, quæ in matrimoniis ritè conficiendis servari oportere, sacri Canones, & præcipuè sancta Synodus Tridentina jussit; dabitque operam, ut in illa Parochia sua accuratè exactèque serventur.

Præsertim verò meminerit, matrimonia inter raptorem & raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, irrita, nec non clandestina, & quælibet matrimonia, quæ aliter quàm præsentem

Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrabuntur, ex ipsius Concilii decretis irrita omnino ac nulla esse.

Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cuius Parochia matrimonium celebratur, sive viri sive mulieris.

Caveat præterea Parochus, nè facile ad contrahendum matrimonium admittat vagos & peregrinos, & qui incertas habent sedes, neque item eos, qui antea conjugati fuerunt; ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur; nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, & re ad Ordinarium delatâ, ab eoque habitâ de ejusmodi matrimonii celebrandi licentiâ, quæ gratis concedatur.

Antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia intrâ Missarum solemniam ad ipsius Concilii præscriptum publicè denunciatur, inter quos matrimonium sit contrahendum.

Si verò vir & mulier Parochiæ sint diversæ, in utraque Parochia fiant denunciations: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitriò Episcopi, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciations, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantùm fiat denunciatio, vel saltèm Parochò, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciations in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegant, nisi aliter Ordinarius ipse expedire judicaverit.

Has autem denunciations Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

Si verò infra duos menses post factas denunciationes matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

Denunciationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone.

Notum sit omnibus hìc presentibus, quòd N. vir, & N. mulier, ex tali vel tali familia, & Parochia, Deo adjuvante, intendant inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes & singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quoadvis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum invicem impediatur, illud quàm primum nobis denunciare debeat; & hoc admonemus primò, si fuerit prima; vel secundò, si fuerit secunda; vel tertio, si fuerit tertia denunciatio.

Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consumment, nec etiam simul maneant; nisi aliquibus propinquis vel aliis presentibus, quæ benedictio à nullo alio, quàm ab ipso Parocho seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, fieri debet.

Caveat etiam Parochus, nè quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiam si vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiam si ejus vir numquam uxorem duxerit.

Matrimonium in Ecclesia maximè celebrari decet; sed si domi celebratum fuerit presente Parocho & testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi, & tunc caveat



cerdos, nè iterum à contrahentibus consensum exigat; sed tantum benedictionem illis conferat, celebratâ Missâ, ut infrâ dicitur.

Admoneantur præterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum piè accedant, & quomodo in eo rectè & Christianè conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplò Tobie & Saræ, verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis, quàm sanctè conjuges debeant convivere.

Postremò meminerint Parochi, à Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè, solemnitates nuptiarum prohibitas esse; ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivium. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiæ verò quâ decet modestiâ & honestate fiant: sancta enim res est matrimonium, sanctèque tractandum.

Quæ omnia ferè ex sacri Concilii Tridentini decretis desumpta, & item alia, quæ ibi de matrimonio ritè contrahendo præcipiuntur, sunt diligenter servanda.



DECISIONES DUBIORUM Circa jus Parochorum copulandi desponsatos in diversis occurrentibus casibus.

I. Dubitabis, qualis Parochus jure stolæ gaudeat, quando sponsus, & sponsa diversæ sunt Parochiæ? Respondetur: jure stolæ gaudere proprium Parochum sponsæ, ità habet communis, & recepta praxis hujus almæ Diœcesis. Loquimur verò de jure stolæ, nam ubi de valore Matrimonii quæreretur, pro certo habeatur, Parochum proprium respectu unius ex contrahentibus vel sponsi, vel sponsæ sufficere.

II. Dubitabis, quis ergo in ordine ad contrahendum Matrimonium proprius Parochus censetur? Ante resolutionem notabis, Domicilium habitationis duplex à DD. statui solere, unum Habitationis stabilis, ac permanentis, alterum Habitationis solum temporaneæ, quod quasi domicilium vocant. Ad prius duo requiruntur; Animus & Factum, animus requiritur, & quidem in loco habitationem perpetuam ac stabilem, sive ad nullum certum tempus definitam constituendi. Factum desideratur, scilicet habitationis in loco constitutæ: etiam si quandoque ex causâ, v. g. peregrinationis, muneris, vel negotii gerendi, aut perficiendi, sed rediturus, aliò quis avocetur. Posteriùs, id est quasi domicilium, censetur quis habere in loco, in quo animò, non perpetuò, sed per annum, aut majorem vel saltè m notabilem anni partem, commorandi degit: sicut in Lyceis studiosi, in oppidis famuli & ancillæ, in civitatibus negotiatores, in quibus tanto tempore ibi permanendi animò officinam, diverforium, vel tabernam constituerunt, aut conduxerunt. Nunc *Respondetur*: Proprium Parochum censeri non tantùm illum in cujus Parochia unus vel uterque contrahentium domicilium verum fixit, sed etiam ubi habet quasi domicilium: hoc enim sufficit ad constituendum parochianum, & Sacramenta, Ordine excepto, percipienda: cur ergo idem quasi domicilium non fundet Parochiale forum pro contrahendo Matrimonio?

III. Dubitabis, coram quo Matrimonium contrahere debeant, qui in aulis Dominorum ad tempus inserviunt, & ibidem permanendi, & domicilium aut quasi figendi animum non habent? *Respondetur*: Si in loco servitii nec quasi domicilium quis constituat, coram Parocho, in cujus parochia tempore servitii moratur, validè Matrimonium inire non posse, nam domicilium facit, ut quis parochianus efficiatur, adeoque similis ubi contraheret coram Parocho loci, in quo tam modico tempore inservit, non se coram proprio Sacerdote vel Parocho desponderet, quare ad Parochum domicilii remittendus esset, quem ob distantiam loci, si accedere non valeret, procuranda erit in scriptis delegatio. Nisi tamen taliter inserviens pro vagabundo reputandus sit, & tunc ea practicanda venirent, quæ cum aliis vagabundis observantur.

IV. Dubitabis, an non Parochus originis solum assistere valeat Matrimoniis eorum, qui alibi habitationis domicilium constituerunt? *Respondetur*: Non posse, siquidem SS. Concilium Tridentinum pro assistentia requirit proprium Parochum, & habitatio, non autem sola origo, aliquem parochianum facit quare non originis, sed Parochus habitationis proprius dici debet.

V. Dubitabis, quid si Domini aliàs Olomucii vel Brunæ plerumque degentes, sua dominia visitant, ibidè mque alicui puellæ ex gynæceo nuptias facere cogitant, tantò que tempore subsistunt, ut trinæ promulgationes fieri possint, poteritne loci Parochus requisitus finitis promulgationibus tali Ma-

trimonio assistere? *Respondetur*: Non posse, ex causa quòd tales Domini etiam Principes esto censeantur cives omnium urbium, & pagorum sui Domini vel Principatus non tamen sunt parochiani, nisi illius parochiæ, ubi habent Palatium, in quo ordinariè resident: Quòd si ergo nec ipse Dominus pro parochiano haberi valet, multò minùs pro tali puella inserviens agnosci poterit.

VI. Dubitabis, quid si sponsa inserviisset tam diu v. g. Brunæ, ut quasi domicilium ibidem constituerit, parentes verò ejusdem Olomucii degentes, eam Olomucii elotare vellent, quis Parochorum Matrimonio huic assisteret? *Respondetur*: I. Quòd si sponsalia Olomucii contraxisset, postquam quasi domicilium Brunensè reliquit ad Olomucensem Parochum spectabit, ut tale Matrimonium solemnizet: Tali enim modo animò permanendi post nuptias cum sponso, Olomucii domicilium, vel quasi figeret. *Respondetur*: II. Quòd si sponsa Brunam redire velit, & solummodo amicos aut parentes visitandi causâ accessisset, esto sponsalia Olomucii contraxisset, coram Parocho Brunensi Matrimonium celebrabit: quia talis sponsa quasi domicilium suum Brunensè non reliquit, parochiana Brunensis manebit, & ille istius proprius Parochus perseverabit: *Respondetur*; III. Multò magis talis sponsa coram Parocho Brunensi matrimonium inire debet, si in loco servitii habitare post nuptias constituat, etsi sponsalia Olomucii etiam solemnia contraxisset, prout infertur à fortiori ex rationibus allatis. *Respondetur*: IV. Quòd si sponsa usque ad tempus Matrimonii in servitio, vel saltè parochia servitii permanere, post nuptias autem alibi habitare & domicilium vel quasi constituere intenderet, licèt tempore sponsaliorum vel amicos visitandi, vel nuptias parandi causâ ad locum habitationis constituendæ se contulisset, ad Parochum domicilii ubi inservit pro copulatione veniat, sive intrà, sive extra illius limites sponsalia contraxerit, quia ut ponitur in casu, domicilium servitii necdum deseruit, consequenter à jurisdictione Parochi à quo recedere intendit, necdum eximitur, sed ob domicilium ibidem perdurans, & necdum derelictum in illam, ut sponsam jus acquisitum habet. Cæterùm ad sponsalia de futuro solemnia requiritur, ut ad minimum coram duobus testibus contrahantur, quamvis sponsalia de futuro etiam clandestina in conscientia obligent, & impedimentum publicæ Honestatis producant.

VII. Dubitabis, si ante Adventum vel Quadragesimam tardè innotescat aliquam sponsam valdè gravidam esse, ut propter periculum moræ, trinæ promulgationes fieri nequeant, sitque tanta distantia à Reverendissimo Episcopali Officio, ut recursus minimè detur petendi dispensationem, an liceat Parocho epykiâ uti, & facta una pro tribus, vel omnibus denunciationibus omissis intuitu, quòd aliàs sponsa prostituatur, sponso ad Matrimonium admittere? *Respondetur*: Nullatenus in epykiam assensum præberi, sed sponsa sibi imputet, quòd suâ culpâ prostituatur.

VIII. Dubitabis, quid ubi milites concubinas secum circumducunt, actu se movent ex quarteriis, assentientibus Officialibus factaque Parocho assuratione, inter sponfos nullum latere impedimentum, an dicti milites absque promulgationibus cum concubinis suis conjugii valeant? *Respondetur*: Universalem Regulam hic statui non posse, quare commonentur Curati, ut invigilent circa tales quamdiu in hybernis sunt, conentur omnes, vel duas ad minimum unam denunciationem præmittere; in actuali expeditione ad bellum pergentes ubi comprehensi sunt, præmittatur diligens examen circa impedimenta Canonica, & habito Officialis assensu, saltèm una, si tempus patiat, denunciatio fiat, si non, ad præcavenda graviora peccata à Parocho ubi contrahentes subsistunt, tanquam vagi copulentur. Cautè tamen hic procedendum erit, nè Parochi hanc licentiã abutentes suam conscientiam aggravent.

IX. Dubitabis, utrùm ubi pars una Catholica altera verò hæretica fuerit, ad Matrimonium admitti possint; *Respondetur*: Praxim obtinuisse, ut obtentis etiam Officialium licentiis Parochus recursum faciat ad Reverendissimum Episcopale Officium, id ipsum insinuando, assurationem à parte heterodoxa in scriptis datam de prolihus Catholicè educandis supplici libello adjungat, in quo simul exprimatur, an non periculum perversionis parti Catholicæ immineat.

X. Dubitabis, quid, si sponsa alteri Domino quàm miles subjiciatur? *Respondetur*: admonendos hos sponfos esse, finitò bellò à Dominis suis in subditam revocari, & ex hac revocatione utrique parti magnas molestias oriri posse. Similiter admonendi sunt, si liber subditam, aut vice versa ducat, solutò bellò quòd liber subditi vel subditæ conditionem sequi debeat, hinc perpendant quid agant, cum tunc privilegium militare cesset.

XI. Dubitas, an quis Matrimonium inire cogitans, in loco ubi actu degit modico tempore, notusque non est, denunciari nihilominus in Parochia actualis habitationis debeat? v. g. Olomucensis origine, qui ut puer Brunam venit, multis annis ibidem commoratus, ad festa Natalitia Prostannæ servitium suscepit, ubi ipsi offertur occasio ante Quadragesimam adhuc ineundi Matrimonium cum Neostadiensi, an nihilominus Prostannæ ex qua Parochia ut sponfus abit, denunciationes sint faciendæ? *Respondetur*: quia finis denunciationum à Concilio Tridentino præscriptarum est, ut impedimenta Matrimonii, si intervenirent, detegi possint, hic sponfus verò, cùm Prostannæ ignotus sit, finis Concilii non obtineretur, adeoque non Prostannæ, verùm ubi notus est, promulgationes fieri deberent. Ad hoc verò ut quis sufficienter notus esse censeatur, requirit Reverendissimum & Episcopale Consistorium, ut per medium annum saltèm in loco sit commoratus.

Quæres I. Ex Dubit. III. Quomodo procedendum sit cum Matrimoniiis vagorum, nè peccata multiplicentur? *R.* Modum in hoc genere securissimum præscribit SS. Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 7. de Reformatione Matrimonii, dum Parochis præcipit, nè vagorum Matrimoniiis interfint, nisi prius diligentem Inquisitionem fecerint, & NB. Re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Caveant proinde Parochi quidpiam propria autoritate attentare, & Matrimonium hujusmodi nullitati ob defectum jurisdictionis exponere, verùm in singulis casibus ad Episcopale Officium recurrant, per ordinatum libellum statum, originem, libertatem vel subditelam, divitias aut paupertatem describant, Attestatis & Documentis quibuscunque non fidant, sed ea in Originali penès Libellum supplicem allegent, ac resolutionem præstolentur. Cùmque pro re nata resolutionem obtinuerint, ab ea nec latum quidem ad unquem recedant, nè fraudibus hujus sortis hominum illaqueati temeritatis suæ pœnas luant. Quòd si subinde in favorem vagorum secuta fuerit resolutio, ut nempe præstito de continuo cælibatu juramento copulentur; meminerint copulaturi, ut hoc juramentum ab ipsis quâ par est Reverentiâ excipiant, juraturis vim & importantiam juramenti, nec non gravitatem perjurii ob oculos ponant, pœnasque Polygamis in jure statutas nervosè insinuent, & si utraque pars vaga est, nec Domicilium sub parochia supplicantis fixerit, caveant assistentiam talis Matrimonii Capellanis, Cooperatoribus, aut quibuscunque aliis Sacerdotibus subdelegare, cùm enim ipsi ab Ordinario sint delegati, subdelegare nequaquam possunt.

Quæres II. Ubi? quomodo? & qua verborum forma prædictum Juramentum de Cælibatu sit deponendum? *R.* Deponi potest in ædibus Parochialibus, vel summum in Sacristia coram Parocho, & saltèm duobus testibus ante effigiem Crucifixi, accensis duabus candelis, & elevatis (tactò prius Crucifixò) duobus juratoriis dextræ manûs digitis, si vir est? si verò fœmina? tactò prædictis digitis Crucifixò, manu dextra ad pectus posita. Est autem formula hujus juramenti talis:

Boëmicè.

SA NN. přisahám Pánu Bohu všemohácnému / Nejblahoslaveně
něgššy bez Pospěurny počaté Maryi Panně Matce Boží a všem
Švatým / že jsem nikdy ženatý nebyl (vdaná nebyla) ani žádné gi-
né ženššy (Mužššy) Osobě gabyškoli ta mohla gmenovaná byti bu-
daucyho Manželššwa neshšybyl / kromě této mé Nevěššě NN. (Ženš-
chowi NN) Tak mně Pán Bůh pomáheg / Nejblahoslaveněgššy bez
Pospěurny počaté Marya Panna Matka Boží / a všychni Švatj /
Amen.

Germanicè.

G **HN.** Schwöre **G** **Ott** dem Allmächtigen der Allerseeligsten ohne der Erbsündt empfangenen Jungfrauen / und Mutter **G** **Ottes** **Ma-**
ria / und allen Heiligen / daß ich niemahls verheyrathet gewesen / auch
 keiner anderen Weibs Person (Manns Person) wie die immer Nahmen
 haben mag / die zukünftige Ehe versprochen / als nunmehrigen meiner
 Braut **NN.** (meinem Bräutigam **NN.**) so wahr mir **G** **Ott** helffe /
 die Allerseeligste ohne der Erbsündt empfangene Jungfrau und Mutter
G **Ottes** **Maria** und alle Heiligen / Amen.

Notandum: si alterutra vel etiam utraque pars sit in statu Viduitatis, su-
 pra dicta verba in Bohemico: *Ze gsem nikdá ženatý nebyl (wdaná nebyla)*
 & in Germanico: *Daß ich niemahls verheyrathet gewesen / mutari debeant:*
Ze gaß gsem owdowel / neb owdowela / daß nachdeme ich verwittibet
worden / keiner anderen / c. & hocce juramentum à Parocho & partibus au-
 thentizandum, ac in Archivo Parochiali asservandum erit.

Queres III. Quomodo se gerere debeat Parochus circa Personas asseren-
 tes, & Attestata de morte conjugis producentes? **R.** Hic cautissimum oportet esse Parochum, nè quid autoritate propria statuatur, sed in singulis casibus ad Episcopale Officium recurrat, tot enim fraudes, imposturæ, & falsa intervenire solent, ut eisdem probè dignoscendis maxima circumspeditione opus sit. Neque testes super morte talis conjugis quoscunque legaliter audire præsumant, sed eos ad competentem instantiam Episcopale Officium nempe dirigant, & ab hujus Decreto toti pendeant.

Queres IV. Quinam reapse censentur vagi? **R.** Qui nullibi locorum stabile habent Domicilium, vel quasi Domicilium, sed de uno in alterum locum continuò migrant; ut sunt Mendici, Cyngari, Stentores, Hystriones, & idgenus Hominum. Pro faciliore captu deserviat descriptio Domicilii ex Jure Civili L. Cives 7. Codice de incolis &c. *In eo loco singulos habere Domicilium non ambigitur, ubi quis rerum ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, sinihil avocet.* Indè:

Queres V. Utrùm Juvenes Opifices, seu socii Opificum & Artificum, varia loca exercendi Opificii causâ visitantes, & jam hic, jam alibi per tempus indefinitum juxta proprium libitum laborantes, censendi sint inter vagos? **R.** Simpliciter vagi dici non possunt, cum per laborem seu ut ajunt conditionem initam, Domicilium Magistri (prout Familia Domicilium Domini) fortiantur, & veri Parochiani suorum Parochorum evadant. Sed

Queres VI. Quid agendum cum tali Socio, qui laboravit Viennæ e. g. trienniò, Viennâ abivit, & venit Brunam, ibidémque laboravit unò annò, post-

postea substitit in labore Prostannæ quadrante anni, ac demum venit Olomucium circa festa Natalitia, ubi non tantum laborem, sed & opportunam occasionem Matrimonium in Bachanaliis contrahendi adeptus est, quid inquam cum tali agendum? ubi? & in quot locis promulgandus erit? num Viennæ? Brunæ? Prostannæ? & Olomucii? R. Regulariter Brunæ tantum & ob sponfam ex supposito Olomucensem Olomucii promulgandus erit, cum Brunæ potiori anni parte vixerit. Quod si verò hujusmodi focii in nullo loco per majorem anni partem substituerunt, sed hinc inde oberrârunt, ad Episcopale Officium recurrendum, & in supplementum promulgationum pro facultate juramentum de cælibatu excipiendi supplicandum erit. Exinde

Quæres VII. Quomodo procedendum cum famulis, qui ad festa Natalitia ex una Parochia ad alteram servitorum causâ commigrant, & in loco servitii noviter adepti per decursum anni Matrimonium contrahere volunt, an in priori Parochia, quam penitus deseruerunt, promulgandi erunt? R. Si infra medium annum in novi servitii Parochia Matrimonium contrahere voverint? omnino in priori Parochia promulgari debebunt. Si verò supra medium annum jam in novo servitio substituerunt, ad promulgationes in priori Parochia non obligabuntur.

Quæres VIII. Ad Dubit: V. Quid faciendum in casu, ubi Dominium duplex habet Domicilium ita ut in uno tempore hyemis, in altero tempore æstatis residere soleat, an tunc alteruter Parochus Matrimonio tum Domini tum servorum assistere poterit? R. Ille Parochus assistet Matrimonio, in cujus territorio Dominium pro tempore contrahendi Matrimonii commoratur, ita tamen, ut in Parochia alterius Domicilii promulgationes fiant.

FORMULA PROMULGANDI SPONSOS.

Germanicè.

S wird Euer Lieb und Andacht verkündiget / daß im Stand der heiligen Ehe sich begeben wolle NN. mit der NN. Wann also jemand eine Verhinderung zwischen obbemeldten Braut, Personen wüßte / der solle es gehöriger Orten anzeügen / wosern aber nichts dargegen einzuwenden ist / belieben sie Euer Lieb und Andacht in ihr andächtiges Gebett einschließen / sie werden verkündiget zum erstenmahl / zweytenmahl / drittenmahl.

Boëmicè.

Sznamuge se Láskam wassým / že w Staw Swateho Manželstwj
 staupiti minj **NN.** bude sobě bráti **NN.** Gestližeby Lásky wa-
 sse negakau překážku mezy těmi Osobami wědéli / at časně ohlásý / Ede
 slusý a patřj / gestliže ale nic takoweho newědj / at se za ně Panu B^o
 hu pomodlj. Ohlássugi po neyprw / po druhý / po třetj.



DECRETUM S. CONCILII TRIDENTINI.

De legitima celebratione Matrimonii.

Sess: 24. c. I.

TAmetsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse: nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit, verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, que ex eisdem clandestinis conjugiiis ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, que de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inbarendo præcipit, ut impostero, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denunciatur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesia procedatur. Ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: **Ego vos in Matrimonium conjungo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.** Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provincia ritum.

tum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspiciò , Matrimonium malitiosè impediri posse , si tot præcesserint denunciationes , tunc vel una tantùm denunciatio fiat , vel saltèm Parocho , & duobus , vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant , ut si alia subsint impedimenta faciliùs delegantur : nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit , ut prædictæ denunciationes omittantur ; quod illius prudentia , & iudicio S. Synodus relinquit.

Qui aliter , quàm præsentè Parocho , vel alio Sacerdote , de ipsius Parochi , seu Ordinarii licentia , & duobus , vel tribus testibus , Matrimonium contrabere tentabunt , eos S. Synodus ad sic contrabendum omnino inhabites reddit , & bujusmodi contractus irritos , & nullos esse decernit , prout eos præsentè Decreto irritos facit , & annullat. Insuper Parochum , vel alium Sacerdotem , qui cum minore testium numero , testes , qui sinè Parocho , vel Sacerdote bujusmodi contractui interfuerint ; nec non ipsos contrabentes graviter arbitriò Ordinarii puniri præcipit.

Præterea eadem S. Synodus hortatur , ut Conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cobabitent , statuitque ; Benedictionem à proprio Parocho fieri , neque à quoquam , nisi ab ipso Parocho , vel ab Ordinario licentiam ad prædictam Benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse : quacunque consuetudine , etiam immemorabili , quæ potiùs corruptela dicenda est , vel privilegio non obstante. Quòd si quis Parochus , vel alius Sacerdos , sive Regularis , sive Secularis sit , etiamsi id sibi ex Privilegio , vel immemorabili Consuetudine licere contendat , alterius Parochie Sponsos , sinè illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere , aut benedicere ausus fuerit , ipso Jure tamdiu suspensus maneat , quamdiu ab Ordinario ejus Parochi , qui Matrimonio interesse debebat , seu à quo Benedictio suscipienda erat , absolvatur.

Habeat Parochus librum , in quo conjugum & testium nomina , diemque & locum contracti Matrimonii describat , quem diligenter apud se custodiat.

Postremò S. Synodus Conjuges hortatur , ut antequam contrabant , vel saltèm triduo ante Matrimonii consummationem , sua peccata diligenter confiteantur , & ad Sanctissimum Eucharistia Sacramentum piè accedant. Si quæ Provincia aliis , ultrà prædictas , laudabilibus Consuetudinibus & Caremoniis hac in re utuntur , eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat.

Nè verò hæc tam salubria Præcepta quemquam lateant , Ordinariis omnibus præcipit , ut cum primùm poterunt , curent hoc Decretum populo publicari , ac explicari in singulis suarum Diocesium Parochialibus Ecclesiis : idque in primo anno quàm sapiissimè fiat. Decernit insuper , ut bujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat , à die prima publicationis in eadem Parochia facta numerandos.

Idem Boëmicè.

M Czkoliw pochybowati se nemá / že Pokautnj Manželstwa / swobodným namlawagjeych se Osob swolenim / zawřená / mocná a prawdiwá Manželstwa gsau / dokawádzby Swatá Cyrkew ge zrušená nevdinila / a proto spravedliwé odsauzenj magj býti ti / galž ge Swaté Concilium Proklenjm odsuzuge / kterj ta Manželstwa za prawá a mocná býti zapjragj / a kterj klamawé ffalessně gijš / Manželstwa od Djetě bez Dowolenj Rodičůw zawřená / býti neplatná / a že Rodičowé ge platná aneb neplatná včiniti mohau.

Nicméně Swatá Božj Cyrkew z neypodstatněgšých Přjčin / takowá Manželstwa wždycky klela zapowjdała. Že pak Swaté Concilium uznáwali Zapowědi pro Neposlusnost Lidj / nynj neprospjwati / a těžké žtjchy v wazuge / kterě z tegných / pokautných Oddawet pocházegj / obwzkláště pak těch / kterj w Stawu a Bytu zatraceni pozůstawagj / řdyž prwněgšj Manželku s kterau tegně se zawázali / opuštj / s ginau swětle se oddawagj / a s ni v wěčném Cyzoložstwou žiwj gsau.

Kterému zlému / poněwadž od Cyrkwe / která od tegných nesauidj / gináce se pomocy nemůže / lečby důwodněgšjho negakeho Prostředku vžjwala / protož Swateho Lateránskeho Concilij a Sněmu za Innocentia Papeže toho Směna Třetjho držaneho / následugjce Sslápěgůw příkazuge / aby budaucně dřjw nezby se Manželstwj zawřelo / třikrát od wlastnjho zasnuběných Osob Faráře / po tři pořád běžnj Dni Swátečnj / w Kostele při Slawnosti Nšj Swatých obecně se wyhlášklo / mezy kterjma Manželstwj má se spogiti a zawřiti: Po kterých wyřjzených Wyhláškjenj / gestliže žádná prawnj překážka se nepřednese / k slawenj Manželstwa před Twáři Cyrkwe přistaupiti se má / řdežto Farář po wyptánj se Ženicha a Newěšty / a po wyrozuměnj gegich společnjho přiwolenj / nechť řekne: *Gá was w Manželstwo spozugi / we Směno Dicc I / y Syna I / y Ducha I Swateho / Amen* : aneb giných Slow podle nawykleho gedně řazdě Kraginy Obyčege / vžige.

Gestli někdy důwodně bude podezřenj / žeby Manželstwj zlostně překážene býti mohlo / řdyby tolikere předěšlo Wyhláškjenj / tehdaž nebo gedně Wyhláškjenj předgiti / nebo toliko Faráře a dwauch nebo třech Swědkůw přjtomných / Manželstwj zawřiti se má: Potomně před geho wyplněnjm / Wyhláškjenj w Kostele nechť se stanau / aby / gestli negaké Překážky wěcy snadněgj se a wolněgj wygewili. Lečby sám Ordinarius za prospěšně vsauidl / aby nadepsané Wyhláškjenj se wypuštjli / což geho Maudrošty a Rozeznánj / Swaté Concilium zanechává.

Kterýby pak gináce nezli w Přítomnosti swého Faráře / aneb giného Kněze / s toho Faráře nebo Ordinarii Dowolenjm / a dwauch nebo třech Swědkůw Manželstwj zawřsti se pokusyl / gich Swaté Concilium k Manželstému spogenj do konce nespůsobné činj / a takowé Oddawky zrušséné / neplatné / a žádné býti zawjra / galž ge také přítomným Dekretem zrušuge / a w nic obracuge. Nadto Faráře nebo giného Kněze / který s menššým počtem Swědkůw / a Swědky / kterj bez Faráře nebo Kněze takowým Oddawkám přítomnj byli / také y samé oddawagj se Osoby / přisně podle Ljbošti Ordinarii a nebo Biskupa / ztrestati poraučj.

Mimo toho tož Swaté Concilium napomjná / aby Manželsté Osoby před Požehnánjm Kněžššým / které w Bossele přigiti se má / w gednom Domě společně nebydleli / k tomu narjšuge Požehnánj od wlastnjho Faráře wykonati / anjž od toho giného / ginému Knězy dowolenj / kromě wlastnjho Faráře wykonati / aneb od Ordinario k wykonánj předpowěděného Požehnánj propugčiti se může / a nemá / neohljdagjce se w tom na žádný Obyčeg býť ten od nepamátných Let zachowáwaný / (který nybrž tim wětššy Porussienost a rozpustilost gménowan býti má) žádné také Obdarowanj neoffetrugjce.

Gestliby pak který Farář neb giný Kněz Kžeholnj / nebo Swětššý / to sobě pro obdarowanj aneb nepamátného Obyčege zachowáwanj swěčeti vsylowal / a giné Fary zasnaubené Osoby / bez gegich Faráře dowolenj / k Stawu Manželstému oddati / neb požehnati se opowázil / samým Práwem tak dlaugo zatknutý zůstawati má / galž dlaugo od Ordinario nebo Biskupa toho Faráře / který při těch Oddawkách přítomen býti měl / nebo ktereho Požehnánj přigiti se mělo / sprosstěny nebude.

Ná také každý Farář Bnjhu přihotowiti / do ktereby Oddawaných a Swědkůw Gména / Den a Mjsto w kterém Manžele oddanj a potworzenj byli zapisowal / a tu pilně v sebe zachowáwati.


Posledně Swaté Concilium Manžely napomjná / aby prwe nežliby se oddati dali / nejméně tři Dni před tim / nežby se sessli / z swých Hřichůw pilně se spowj dali / a k Přigjmánj Neyswětěššy Swátosti Oltárnj pobožně přistaupili.

Gestli pak které Kraginy wjcegj chwalitebných Obyčegůw a Pořáděkůw w této Wěcy nadepsané wjzwagj / Swaté Concilium z Úrdce žádostiwé gest / ge z cela zachowati.

Abý pak tato tak spasytedlná Přikázanj žádnému skrytá nebyla / wšsem Ordinariis nebo Biskupům poraučj / aby čim dřjwegi mocy budau se přičinili / tento Dekret Swátoho Cyrkownjho Sněmu Trydentššého

Lidu wyhlásyti a wyložiti we wosše h gegich Biskupstwi / Sarnjch) Bo-
steljch / a to w prwnjm Roce co neyčástěgi / budaucně pat kolikrátby pro-
spjowati uznáwali. Narižuge y to / aby tačowý Dekret při gedně každě
Sare swau Moc mji tehdy začal / řdyžby od Dne / geho prwnjho Wyhlá-
sňenj při tyž Sare třidceti Dni / wysslo a pominulo.

Idem Germanicè.

 Zwar nicht zu zweiffeln ist / daß die heimliche Winkel-
Heyra-
then / so von den versprechenden Personen aus freyer Bewilligung
geschehen / rechte / und wahre Heyrathen seyn / so lang sie die
Christlich-Catholische Kirch nit auffgehoben / und unkräftig gemacht /
und darum die jenige billich zu verwerffen / und zu verdammen seyn / wie
dann auch dieses Heilige Concilium und Versammlung der Vätter die je-
nige mit dem Bann verdammet / welche dieselbe für wahre und gültige
nicht erkennen wollen / die auch fälschlich fürwenden / daß die von den
Kindern ohne Bewilligung der Eltern beschlossene Heyrathen ungültig
seyn / und die Eltern selbige kräftig und unkräftig machen / und auffheben
können. Nichtsdestoweniger hat solche die Heilige Kirchen Gottes aus
gerechten und billichen Ursachen jederzeit für schädlich gehalten / verflu-
chet und verbothen.

Wann dann das Heilige Concilium und Versammlung der Vätter
vermercket / daß diese Verboth aus Ungehorsam der Menschen anjezo
nichts helfen / und die grosse Sünden und Laster / welche eben aus denen-
selben heimlichen Heyrathen und Ehe-Versprechungen entstehen / wohl
erweget / sonderlich aber deren / welche in dem Stand der Verdammnuß
verbleiben / indeme sie die erste Gemahlin / mit welcher sie sich heimlich
versprochen hatten / verlassen / mit einer andern sich öffentlich versprechen
und Hochzeit halten / und mit ihr in einem stätten und immerwehrenden
Ehebruch leben. Welchem Ubel / sintemahlen von der Christlich-Catho-
lischen Kirchen / welche von den heimlichen Dingen nicht urtheilet / nicht
kan begegnet werden / es sey dann / daß ein sonderbahres kräftigeres Mit-
tel hierzu angewendet und gebraucht werde.

Als thut sie derohalben dem allgemeinen Schluß und Fußstapffen
der Vätter des Lateranensischen Heiligen Concilii und Versammlung / so
unter Ihrer Päbstl. Heiligkeit Innocentio dem Dritten dieses Nahmens /
celebriret und gehalten worden / anhangend und nachfolgend / gebiethen
und befehlen / auf daß hinführo ehe dann die Eheliche Vermählung ge-
schehe / drey-mahl von deren contrahirenden Personen eigenem Pfarzherm
die

die drey nächst auf einander folgende Feyertag in der Kirchen unter dem Hohen Ambt der Heil: Mess öffentlich verkündiget und auffgebotten werde / zwischen welchen Personen diese Heyrath und Ehe soll getroffen werden; Nachdem nun solche Verkündigung und Auffbietung geschehen / so alsdann keine rechtmässige Hindernuß vorhanden noch vorkommet / soll man in Gegenwart der Christlichen Gemein in der Kirchen zu Celebrirung und Vollziehung dieser Ehe-Vermählung und Heyrath der Ehelichen Hochzeit schreyten: Wo der Pfarrer beyde Personen Mann und Weib gefragt / und ihre zu beyden Theilen Bewilligung verstanden / solle er entweder sprechen: **Ich verpflichte und verbinde euch zur Heiligen Ehe / im Nahmen des Vatters / und des Sohns / und des Heiligen Geistes / Amen:** Oder andere dergleichen Wort gebrauchen / nach einer jedlichen Provinz üblichen Gebrauch und Lands Gewohnheit.

Im Fall aber ein glaubwürdiger Argwohn fürfallen thäte / daß durch so vieler vorhergehenden Verkündigung und Auffbietungen die Heyrath böshafftiglich möchte verhindert werden: soll alsdann entweder nur eine Auffbietung geschehen / oder auffß wenigst in Gegenwart des Pfarrers und Beyseyn zweyer oder dreyer Zeugen die Vermählung vorgehen / und die Heyrath geschlossen werden.

Und hernachmahls / ehe dann das Beylager gehalten / und die Ehe consumirt wird / sollen die Verkündigungen in der Kirchen vorher verrichtet werden / auf daß / so etliche Hindernüssen vorhanden / selbige desto leichter mögen entdeckt und offenbahret werden: Es sey dann / daß der Ordinarius und Bischoff für gut ansehe / daß vorbesagte Auffbietung ganz unterlassen werden: Welches das Heil: Concilium und Versammlung der Väter / seiner Vernunft und Erkandtnuß anheim gestellet.

Welche nun anderst / als in Gegenwart ihres Pfarrers / oder mit Erlaubnuß ihres Pfarrers / oder Ordinarii und Bischoffs / oder eines andern Priesters / und in Beyseyn zweyer oder dreyer Zeugen ein Heyrath zu schliessen / sich unterstehen werden / dieselben macht das Heil. Concilium und Versammlung der Väter / dergestalt sich mit einander zu verheyrathen ganz und gar untauglich und utüchtig: Erkennet auch dergleichen Contract und Heyrath für unkräftig und ungültig / wie es dann dieselben in diesem gegenwärtigen Decret und Verboth gänzlich vernichtet / und aufhebet.

Befiehlt auch über dis alles / daß ein Pfarrer / oder ein enderer Priester / welche mit einer wenigern Zahl der Zeugen / und die Zeugen / welche ohne den Pfarr-Herrn / oder andern Priester / dergleichen Heyraths-Handlungen

gen werden beywohnen / auch die Personen selbst / so sich also zu verheyrathen unterstehen dürfen / nach Gefallen und Erkantnuß des Ordinarii und Bischoffs ernstlich sollen gestrafft werden.

Ferner vermahnet eben dieses Heilige Concilium und Versammlung der Vätter / daß die Ehe-Personen / ehe dann sie den Priesterlichen Seegen in der Kirchen empfangen / in einem Haus bey einander nicht wohnen sollen: Verordnet auch / daß solcher Seegen von ihrem eigenen Pfarrherrn ertheilet werde: Auch daß von niemand anders / als von des Pfarrers selbst oder des Ordinarii und Bischoffs / Erlaubnuß jetzt gemeldten Seegen in Hochzeiten zu geben / einem andern Priester zugelassen könne werden / unerachtet einziger auch unerdenklicher Gewohnheit / welche vielmehr für einen Mißbrauch zu halten / oder anderer Freyheit. Sofern aber ein Pfarrherr / oder ein anderer Priester / es sey ein Ordens-Person oder Weltlicher / ihme solches aus einer Freyheit / oder unerdenklichen Gewohnheit zugelassen zu seyn / mit Gewalt prætendirte / und einer andern Pfarr Bräute / ohne ihrers Pfarrers Erlaubnuß zur Ehe zu geben / oder einzusegnen sich unterstehen würde / soll ihme von rechtswegen die Verrichtung aller seiner Geistlichen Aempter so lang aufgehelt und verbothen seyn / bis daß er von dem Ordinario und Bischoff / dessen Pfarrers / der dieser Heyrath und Hochzeit beywohnen / selbige Eheleuth zusammen geben / und einsegnen hätte sollen: absolviret und loß oder frey gesprochen werde.

Es soll auch ein jeder Pfarrherr ein eigenes Buch haben / in welches er der Ehe-Leuth / und der Zeugen Nahmen / auch den Tag und Orth / der geschlossenen Ehe einschreibe / und dasselbige fleißig bey sich bewahre / und bey Händen behalte.

Leztlichen ermahnet das Heilige Concilium und Versammlung der Väter die Ehe-Personen / auf daß / ehe sie sich Ehelich versprechen / oder auf das wenigste drey Tag ehe sie zusammen kommen / sie ihre Sünd fleißig beichten / und das Hochwürdige Sacrament des Altars andächtiglich empfangen sollen. Wosern etliche Länder sich über jetzt-ernannte anderer löblicher Gewohnheiten und Cæremonien in diesem gebrauchen / wünschet und begehret starck das Heil. Concilium und Versammlung der Vätter / daß dieselben gleichfalls gänzlich behalten werden.

Damit aber die heylsame Geboth niemanden verborgen bleiben / als gebietet es und befihlet allen Ordinariis und Bischöffen / daß sie so bald sie können / verschaffen sollen / daß dieses Decret und Befehl dem Volck in allen Pfarr-Kirchen / ihrer Bistumben verkündiget / erkläret / und ausge-

leget werde: Und dieses soll das erste Jahr auf das öfftest: hernacher aber / so oft als es vonnöthen seyn wird geschehen.

Beschliesset auch über dis / daß dergleichen Decret und Befehl in eis ner jetwedern Pfarz / nach dreyszig Tagen / vom Tage der Ersten Pu blicirung und Verkündigung / so eben in solcher Pfarz geschehen / gelten / und sein Krafft haben solle.

Et hanc Sac: Concilii saluberrimam Constitutionem non tantum ipsimet Pa rochi diligenter perpendant, & observent; sed etiam simplicioribus sibi que commis sis oviculis, pro rei exigentia, de suggestu, vulgari sermone distinctè prælegant, dilucidè explicent, & ad sufficientiam declarent, non semel tantum, sed sæpius per annum, aut tunc saltè, cum post sacras ferias Adventus & Quadragesi ma, Nuptia aperiuntur; moneantque neminem esse privilegio exemptum.

Neque Decretum istud ullo modo ad sponsalia detorqueri irabique possit: circa hæc enim S. Synodus nihil innovavit: ideoque illa quantumvis clandestinè & privatè celebrata, nullatenus improbata sunt, sed omnino jure sponsionis subsi stunt, suàmque obtinent firmitatem. Ad publica autem & solennia sponsalia, præsentia Parochi necessaria non est, & si ad ea quandoque honestatis causâ vocer tur, adesse quidem poterit, novis tamen exactionibus Contrahentes non gravet.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Impedimenta Matrimonii impediencia tantum.

Sex potissimum reddunt Matrimonium moraliter illicitum, scilicet:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum.

Atque Catechismus, crimen, sponsalia, votum.

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Dicitur I. Vetitum. Id est, prohibitio Ecclesiæ facta à loci Or dinario, ob dubium alicujus impedimenti vel inhabilitatis.

II. Tempus Feriarum. Quod incipit ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam inclusive: & à die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive.

III. Patrinus Catechismi.

IV. Crimen. Ut 1. *Incestus*. 2. *Raptus alienæ Sponsæ*. 3. *Uxoricitium*. 4. *Presbytericidium*. 5. *Susceptio propriæ Prolis ex Baptismo, ad impediendam redditionem debiti*. 6. *Publica pœnitentia*. 7. *Matrimonium cum Moniali*. Sed quartum hoc, & tertium antecedens sublata esse volunt Doctores.

V. Sponsalia. *Si cum una contracta, & non dissoluta sint.*

VI. Votum. *Scilicet simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi.*

Impedimenta dirimentia.

Impedimenta quæ irritum reddunt Matrimonium, his Versibus enarrantur :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, Affinis, si clandestinus, & impios.
Raptæ sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Dicitur I. Error, scilicet Personæ.

II. Conditio, scilicet servilis.

III. Votum, scilicet solenne castitatis.

IV. Cognatio, quæ triplex est: 1. *Legalis, proveniens ex adoptione perfecta, inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes usque ad quartum gradum.* 2. *Spiritualis, quæ oritur ratione Baptismi & Confirmationis.* Ac 3. *Carnalis Consanguinitatis usque ad quartum gradum inclusive.*

V. Crimen, quod incurritur, 1. si contrahentes communi consilio physice vel moraliter machinati sint in mortem alterius Conjugis, & mors secuta sit. 2. *Si præcedente adulterio etiam unus tantum, tamen si alterò ignarò eadem parârît.* 3. *Si vivente alterius Conjugis adulterati sint, in itò Matrimonio de præsentî, vel fide invicem datâ de ineundo post Conjugis mortem.*

VI. Disparitas cultus, sive religionis, uti inter baptizatum, & non baptizatum.

VII. Vis, sive violentia, gravisque metus ad Matrimonium extorquendum injustè incussus.

VIII. Ordo sacer, sive major Subdiaconatus, &c.

IX. Ligamen, prioris Conjugii vivente altero conjuge subsistens.

X. Honestas, publicæ scilicet honestatis justitia, ob quam contrahere quis non potest cum consanguineis illius, cum qua antea contraxit Sponsalia, aut Matrimonium ratum.

XI. Ætas, in mare 14. & in muliere 12. annorum completorum.

XII. Affinis, seu Affinitas nata ex antecedente copula carnali. sive licita usque ad quartum; sive illicita usque ad secundum gradum inclusivè.

XIII. Si clandestinus, & aliter quàm coram proprio Parocho, vel de ejus licentia alio Sacerdote, & duobus saltem testibus cœri a-xeris.

XIV. Et impos, perpetuâ scilicet, & Matrimonium antecedente impotentia affectus.

XV. Raptive sic mulier, & cum violentia abducta Libidinis exercendæ, vel Matrimonii ineundi causâ.

RITUS CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

Parochus igitur Matrimonium celebraturus; publicationibus factis tribus diebus festivis, ut dictum est, si nullum obstat legitimum impedimentum, in Ecclesia superpellicè, & albâ stolâ indutus, adhibito, unò saltem Clericò superpellicè pariter indutò, qui librum & vas Aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coràm tribus, aut duobus testibus; virum, & mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum præsentia corroborari decet, ubi commodum erit, in hunc vel similem modum cohortabitur eos ad sanctè vivendum in Matrimonio, ità tamen, ut Ministerii gravitatem servet.

Exhortatione finita de consensu interroget singulatim utrumque in hunc modum vulgari sermone.

Germanicè. Ad Sponsum.

Stillich frag ich euch **N.** daß ihr mir anzeuget, vor **GDtt**, euern Glauben und Seel, ob ihr frey und ledig seyt, von allen Verglübdnussen zum Stand der Ehe gehörig, von allen Weibs-Personen, wie solche können und mögen genennet werden, ausgenommen vor dieser, welche da vor euch stehet? **R.** Ja.

Sum andern frag Ich euch **N.** daß ihr mir eben unter diesem Pfand saget: Ob ihr freywillig, ungezwungen, und ungezungen, diese gegenwärtige **N.** euch nach Ordnung der Christlichen Kirchen zu einer Ehelichen Gemahlin nehmet? **R.** Ja.

Ad Sponsam.

Sesselben gleichen frag ich auch euch **N.** daß ihr mir auch vor **GDtt** euren Glauben und Seel anzeuget: Ob ihr von allen Ehegelübdnussen, und Manns-Personen, wie die können und mögen genennet werden, frey und ledig seyt, ausgenommen vor diesen **N.** welcher da vor euch stehet? **R.** Ja.

Und ob ihr euch diesen gegenwärtigen **N.** freywillig, ungezwungen und ungedrungen nach Christlicher Ordnung zu einem Ehelichen Mann nehmet? **R.** Ja.

Deinde ad utrumque dicat:

SAnn nun dem also, so werdet ihr beyderseits euer Pflicht gegen einander zu beobachten wissen: daß ihr aus Ordnung des Allmächtigen **GDttes**, Vatter und Mutter, Brüder und Schwester, und alle andere Freund verlassen, und einander in stätter Ehelichen Treu verbunden seyn sollet: Also, daß der Mann sein Eheliches Weib, die ihm von **GDtt** gegeben ist, nicht anders als sich selbst, liebe und ehre; Hingegen auch das Weib auf Erden keinen lieberem wisse, als ihren Ehelichen Mann, deme sie also unterthänig seyn soll, daß sie ihm in aller Ehrerbietigkeit vorgehe, und als ihrem Haupt gehorche: auch samment-

mentlich Böses und Gutes einträchtig leydet, und einander zu keiner Zeit nicht verlasset, bis zum Ende euers Lebens: Verheisset ihr das zu thun? **R.** Ja.

G Je weil ihr dann beyderseits frey und ledig seyt, und aus freyen Willen gute und treue Eheleuth seyn wollet, so bestättiget dieses im Angesicht der Kirchen mit Hand und Mund, und reichet einander beyde rechte Hand, mit deutlichen Worten sprechende:

Primò Sponsus dicat.

G **NN.** nehme euch **NN.** mir zu einem Ehelichen Weib, und gelobe euch an, meine Eheliche Treu zu halten, euch niemehr zu verlassen, es sey im Creuz, Krankheit, allerley Widerwärtigkeit, bis an mein letztes End, darzu helffe mir **G** **D** **T**, die Heilige Mutter **G** **D** **T** **S**, und alle liebe Heiligen, Amen.

Similiter Sponsa dicat.

G **NN.** nehme euch **NN.** mir zu einem Ehelichen Man, *re. ut supra.*

Deinde Sacerdos Stola super Sponsorum junctas dexteras posita, voce altiori dicat:

Quod DEUS conjunxit, Homo non separet.

Was **G** **D** **T** zusammen gefüget hat, das soll der Mensch nicht scheiden.

G **D** **T** der Allmächtige, unser Himmlischer Vatter, bestättige euch diesen eueren Ehestand; Und ich aus Pflicht meines Priesterlichen Ampts, gebe euch zusammen vor **G** **D** **T** und der ganzen Christlichen Kirchen, bekräftige und bestättige diesen euern Heil. Ehestand zwischen euch beyden so lang, bis ihn **G** **D** **T** der Allmächtige selber durch das Mittel des Todes scheidet. Und solches im Nahmen des **V** **a** **t** **e** **r** **s**, des **S** **o** **h** **n** **s**, und des **H** **e** **i** **l** **i** **g** **e** **s**, Amen.

G **D** **T** der Allmächtige verleyhe und gebe euch seine Göttliche Gnad und Segen.

Ad Sponsum.

Předně / ptám se vás **N.** abyste mně powěděl před Pánem
BOhem na swau Wjru a Dussy / gštelí swobodeni od wsse-
 líkého Záwazku Stawu Manželského / od kterékoliwěť Osoby
 Žensského Pohlawj gažbykoliw ta gménowaná mohla býti / kromě
 od této **N.** která zde před wámi stojj : **R.** Gšem.

Druhé / tážj se vás **N.** abyste mně powěděl pod týmž Zá-
 wazkem na swau Wjru / a na swau Dussy / dobrowolně /
 a bezewšeho přinucenj pogjmáte wedle pořádku Cýrkewnjho tu-
 to přjtomnau **N.** za Manželku : **R.** Pogjmám.

Ad Sponsam.

Podobně ptám se vás **N.** abyste mně powěděla před Pánem
BOhem na swau Wjru / a Dussy gštelí swobodná od wsse-
 líkého Záwazku Stawu Manželského od kterékoliw Osoby Muž-
 ského Pohlawj / gažbykoliw ten mohl gménowan býti / kromě
 od tohoto **N.** který teď před wámi stojj : **R.** Gšem.

Agštelí sobě tohoto přjtomného **N.** dobrowolně / a bezewšeho
 přinucenj pogjmáte / wedle pořádku Cýrkewnjho za
 Manžela : **R.** Pogjmám.

Deinde ad utrumque dicat.

Dyž tehdy tomu wšsemu tak gest : Pročež budete wěděti / gaž
 geden k druhému wedle Záwazku swého se chowati máte /
 že z wloženj Pána **B**Oha Wšsemohaucýho máte Otce y Matku /
 Bratry / y Sestry / a wšseligaké Dřibuzné opustiti / a w trwánliwé
 wěrnosti zawázánj býti / tak že Manžel od Pána **B**Oha sobě da-
 nau Manželku negináče nežli sám sebe milowati / a ctjti má / na-
 proti tež také Manželka na tomto Swětě žádného milegšsýho
 kromě swého Manžela mjeti nemá / kterémuž poddaná / a poslussná
 býti / geho we wšseligaké Dctiwosti předcházetí / gemu gažožto
 Slawě powolná býti má / tež společně žlé a dobré trpěti / sebe we-

spolek neopausstěti až do wassý Smrti. Slibugeteli to učiniti:
R. Slibugeme.

SU poněwádž wy / gsauce z obauch stran swobodnj / mile /
 dobrowolně dobřj wěrnj Manžele býti chcete: Protož po-
 twrzte to wšsechno Wúbec / před Cýrkwj Swatau s podánjm
 prawé Ručky / a řjkegte zřetedlně po mně.

Primò Sponsus dicat.

SA N. беру sobě wás N. za prawau a wěrnau Manželku / a
 slibugi wám Wěrnost a Lásku Manželskau zachowati / wás
 w ničemž neopausstěti / nýbrž s wámi wšsecko / buďto dobré / a-
 neb zlé / y protivné až do Smrti mé / nebo wassý snášseti / a trpě-
 ti. K tomu mi dopomáheg Pán Bůh / Matka Božj / a wšsyčni
 Swatj / Amen.

Similiter Sponsa dicat.

SA N. беру sobě wás N. za praweho / a wěrneho Manžela /
 a slibugi wám Wěrnost / a Poddanost Manželskau zachowati / wás w ničemž neopausstěti / nýbrž s wámi wšsecko / buďto
 dobré / aneb zlé / y protivné / až do Smrti mé / nebo wassý snášseti a trpěti. K tomu mi dopomáheg Pán Bůh / Matka Božj /
 a wšsyčni Swatj / Amen.

*Deinde Sacerdos stola super Sponsorum junctas dexter as posi-
 ta voce altiori dicat:*

Quod Deus conjunxit, homo non separet.

SO Bůh spogil / toho Cžlowěk nerozlučüg. Pán Bůh Wšse-
 mohaucý Otec nášš milý Nebeský / ten sám rač toto Swa-
 té Manželstwo potwrditi. Gá také z Auřadu meho Kněžského /
 teď před Pánem Bohem / a celau Cýrkwj Křestianskau potwr-
 zugi mezy wámi toto pořádné Swaté Manželstwo / dokud
 ho Bůh Wšsemohaucý sám sřze prostředek Smrti nerozlaučj. A
 to we Gméno Ot ěce / y Syna / y Ducha ě Swateho / Amen.
 Degž wám Pán Bůh swé Swaté Požehnánj.

Postea eos aspergat Aquâ Benedictâ : & benedicat Annulos :

BENEDICTIO ANNULORUM.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *℞.* Qui fecit Cœlum & Terram. *℣.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat. *℣.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic ✠ Domine Annulos hos, quos nos in tuo Nomine benedicimus ✠, ut qui eos gestaverint, fidelitatem integram invicem teneant, in pace & voluntate tua permaneant, atque in mutua Charitate semper vivant. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* Amen.

Deinde Sacerdos aspergat Annulos Aquâ benedictâ in modum Crucis, & dando eos Sponsis, dicat :

Germanicè. Nehmt hin die Ring der Treu, und seht getreu.

Boëmice. Přigměre Prsten Wěrnosti / a budte wěrnj.

Ac mox subjungat. *℣.* Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *℞.* A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. *Kyrie eleison.* *Christe eleison.* *Kyrie eleison.* *Pater noster,* &c. *℣.* Et nē nos inducas in tentationem. *℞.* Sed libera nos à malo. *℣.* Salvos fac Servos tuos. *℞.* Deus meus sperantes in te. *℣.* Mitte eis Domine Auxilium de sancto. *℞.* Et de Sion tuere eos. *℣.* Esto eis Domine Turris fortitudinis. *℞.* A facie inimici. *℣.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat. *℣.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Respice, quæsumus Domine, super hos famulos tuos, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut qui te auctore junguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum &c. *℞.* Amen.

His expletis si benedicenda sunt Nuptiæ, Parochus Missam pro Sponso & Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur.

Peraçtis omnibus, Parochus manu suâ describat in Libro Matrimoniorum Nomina Conjugum, & Testium, & alia juxta formulam præscriptam : idque licet alius Sacerdos, vel à se, vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit.

MODUS INTRODUCENDI MULIEREM POST NUPTIAS.

Introductio Sponsæ non debet fieri, nisi quando Sponsa est Virgo: Sacerdos ergo Superpellicèò vel Albâ & Stola indutus, accedat ad limen Templi, ubi Sponsa cum amicis illum præstat: ibique stans dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælum & Terram.

Psalmus 127.

Beatissimi omnes qui timent Dominum: qui ambulat in viis ejus.
Laboribus manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.

Eccè sic benedicitur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas Filios Filiorum tuorum: pacem super Israël.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

℣. Salvum fac Ancillam tuam Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine Auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Quæsumus Domine Deus noster, ut benedicere digneris hanc Mulierem ingredientem in Templum sanctum tuum, tibi servientem, & custodi eam ab hujus sæculi adversitate: da ei propositum mentis & corporis, ut tibi exhibeat pudicitiam castitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Clementissime Domine Deus noster, quæsumus, ut digneris benedicere hanc famulam tuam: qui omnia oculis tuæ cle-

clementiæ intendis , etiam nostris obsecrationibus aures tuæ pietatis inclina: procul tuô imperiô ab hac famula tua humani generis hostis abscedat: fraudes diaboli procul absistant: omnisque pollutio nequitiaë evanescat ; sit libera ab omni impugnatione phantastica: sit benedicta, atque tuæ voluntati subiecta. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus.

Propitiare Domine supplicationibus nostris: & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, quod te auctore jugiter frequentetur, & te auxiliante servetur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Deinde porrigendo Stulam dicat.

Ingredere domum Dei: & adora Filium Virginis, qui tibi fecunditatem prolis tribuere dignetur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum mediatorem Dei, & hominum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

MODUS INTRODUCENDI MULIEREM POST PARTUM.

Sicut accipera post partum juxta piam, ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolunitate sua Deo gratias actura, petitorique à Sacerdote benedictionem, & ipse Superpellicem, & Stulam albam indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores Ecclesie accedat, ubi illam foris ad lumina genustectentem, & candulam accensam in manu tenentem, Aquâ benedictâ aspergat, deinde dicat:

* Adjutorium nostrum in ndmine Domini. *R.* Qui fecit Cœlum & Terram.

Interponitur. Hæc accipiet benedictionem à Domino.

*Deinde porrigat stolam alicui ex mulieribus, quæ comitantur funus: & aspergens feretrum aqua benedictâ, dicat: Ingre-
dere Ecclesiam Dei, sine omni impedimento Sathanæ, ut vivas
cum Deo in sæcula sæculorum, Amen.*

Formulæ Scribendæ in Libris habendis apud Pa- rochos, ut infra notatur.

Liber Baptizatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confer-
tur Baptisma.

Liber Confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus con-
fertur Chrisma.

Liber Matrimoniorum.

Liber statûs Animarum.

Liber Defunctorum habeatur etiam in
omnibus Ecclesiis, in quibus defuncti sepe-
liuntur.

*Hæ tres habe-
antur à quo-
libet Pa-
rocho.*

Advertat in primis Parochus, ut in libris Baptizatorum &
Confirmatorum, quàm Matrimoniorum & Defunctorum, ex-
primat semper non solum nomen personarum, quæ ibi nomi-
nantur, sed etiam familiam.

Forma Scribendi Baptizatos in primo Libro.

A Nnô Domini Die Mensis Ego N. Pa-
rochus hujus Ecclesiæ S. N. & civitatis, vel loci N. bapti-
zavi infantem die natum, vel natam ex N. & N. conjugibus
hujus, vel Parochiæ S. N. & ex tali patria, & familia, cui im-
positum est nomen N. Patrini fuerunt N. filius N. ex Parochia
seu loco N. & N. conjunx N. filia N. ex Parochia, seu loco N.

*Si infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen
saltèm alterius parentis, de quo constat, scribatur, (omnis ta-
men infamiae vitetur occasio) si verò de neutro constat, ita scri-
batur.*

Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die, &c. *ut supra.*

Si expositus sit infans, exprimat, quo die, ubi, & à quo repertus, & quot dierum verisimiliter sit, & baptizetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptizatum.

Si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit, tunc ita scribatur.

Annò Die Mensis Natus est **N.** filius **N.** & **N.** conjugum, &c. *ut supra*, quem ob imminens mortis periculum in domo ritè baptizavit **N.** obstetrix probata vel **N.** filius **N.** *ut mihi retulit* **N.**

Si supervixerit infans, & adhibita sint in Ecclesia sacre ceremoniæ, ita addatur.

Die ejusdem Mensis ad Ecclesiam portatus est infans prædictus, ipsique ego Parochus sacras ceremonias, & preces adhibui, & **N.** nomen imposui.

Si forte non Parochus, sed alius baptizaverit, id exprimat. Si fuerit baptizatus sub conditione (si non es baptizatus, &c.) id pariter exprimat.

Forma describendi Confirmatos

in secundo Libro.

A Nnò Die Mensis, &c. Qui fuit dies, &c. **N.** filius **N.** & **N.** Conjugum **N.** *vel* filia **N.** (*& si fuerit nupta addatur Uxor N.*) Sacramentum Confirmationis accepit à Reverendissimo **D. N.** Episcopo **N.** in Ecclesia **S. N.** Civitatis, **N.** loci **N.** Compater fuit **N.** filius **N.** Parochiæ **S. N.** Civitatis *vel* loci **N.**

Marium descriptio in una pagina, seu prima facie folii: feminarum verò in altera sejunctim notetur.

Si confirmatus non constet, an ex legitimo Matrimonio geni-

nitus sit, vel parentes ignorentur, servetur, quod in libro baptizatorum præscriptum est.

Forma Scribendi Conjugatos in tertio Libro.

A Nnô Die Mensis denunciationibus præmissis tribus continuis diebus Festivis, quarum prima die secunda tertia die inter Missæ Parochialis solemnia, habita est, nullóque legitimô impedimentô detectô, ego **N.** Rector hujus Ecclesiæ Parochialis, **N.** Civitatis, vel loci **N.** filium **N.** Parochiæ **S. N.** & **N.** filiam **N.** seu relictam **N.** (*si vidua fuerit*) hujus, seu Parochiæ **S. N.** in Ecclesia **N.** interrogavi, eorûmque mutuo consensu habito, solemniter per verba de præsentî Matrimonio conjunxi, præsentibus testibus notis **N.** filio **N.** qui habitat in Parochia **S. N.** & **N.** filio **N.** &c. & **N.** filio **N.** &c. postea eis ex ritu Sanctæ Matris Ecclesiæ (*si tamen nuptias benedixerit*) in Missæ celebratione benedixi.

Si unus ex iis, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cujus Ecclesia Matrimonium celebrari debet, denunciationum in ejus Parochia ritè factarum fidem scriptam habeat: quæ asservetur, & res tota exprimatur in ipsomet libro Matrimoniorum, hac ratione.

Denunciationes hujus Matrimonii factæ sunt etiam à **R. D.** **N.** Parocho Ecclesiæ **S. N.** sub cujus cura dictus **N.** vel dicta **N.** habitat, ut ex ipsius Parochi scripto servato apud me apparet. Denunciatio autem prima facta est die secunda die tertia die inter Missæ Parochialis solemnia, nullumque impedimentum Canonicum detectum est.

Si autem alteruter sit diversæ diœcesis, testimonium Parochi affirmantis denunciationes esse ritè præstitas, nullius roboris

conferatur, nisi ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali illius diœcesis subscriptione, & sigillò comprobatum, & ab Episcopo, seu ejus Vicario loci, ubi contrahitur Matrimonium, recognitum sit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta. Ubi verò Ordinarii concessu (quod scriptò constare debet) denunciations aliquæ differendæ, aut omittendæ, interdum sint, ita notentur.

Annò Domini Die Mensis Denunciationum
 unâ die ritè factâ, reliquis verò dilatis post Matrimonii celebrationem ex facultate scripto concessa à Reverendissimo **N. seu** à Vicario **N.** sub die datis, &c. infrâ scripti tenoris, quam penes me servo cum aliis hujusmodi facultatibus, nullòque prorsus impedimentò allatò, Ego &c. *ut supra.*

Denunciations verò, quæ post contractum Matrimonium fieri, nã scribantur.

Annò Die Mensis qui fuit Festus, &c. & sequenti, qui fuit Dominicus, &c. ejusdem Mensis, Ego **N.** Rector hujus Ecclesiæ **S. N.** inter Missarum solemniam denunciations habui Matrimonii, jam præviâ opportunâ dispensatione initi inter **N. & N.** Die primâ hujus Mensis, nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quò minus hujusmodi Matrimonium ratum, ac firmum esse debeat.

Si autem denunciations omnes omittendæ sint, aut differendæ: ita scribantur. Denunciationibus omnibus omiſſis, *vel dilatis, &c. ex facultate, &c. Ego Rector, N. &c. ut supra.*

*Cæterum si alteri Presbytero ab Ordinario, vel Parocho ipso facultas facta sit conjungendi aliquos, id in libro proprii Paro-
 chi sic adnotetur ipsius Parochi manu.*

N. Presbyter, *vel* Capellanus Ecclesiæ **N.** de licentia Reverendissimi Episcopi **N. seu N.** ejus vicarii loci **N.** aut mea,
 quæ



DE IIS, QUÆ IN
SACRAMENTORUM
ADMINISTRATIONE
GENERALITER SERVANDA
SUNT.

UTea, quæ ex antiquis Catholicæ Ecclesiæ institutis & Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis Sacramentorum ritibus, ac cæremoniis hoc Libro præscribuntur, quâ par est diligentia, ac religione custodiantur, & ubique fideliter servantur, illud ante omnia scire, & observare convenit, quod Sacro-Sancta Tridentina Synodus de iis ritibus decrevit, in hæc verba:

Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sinè peccato à Ministris pro libito committi, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. *Sess: 7. Canon: 13.*

Cum igitur in Ecclesia DEI nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis Divinum habeatur, quàm Sacramenta, ad humani generis Salutem à Christo Domino instituta, Parochus
vel

2
 vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se Sancta tractare; atque omni fere temporis momento ad tam Sanctæ administrationis Officium paratum esse oportere.

Quamobrem illud perpetuò curabit, ut integrè, castè, pièque vitam agat: nam, etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque à pravis Ministris eorum effectus impediri: impure tamen, & indignè ea ministrantes æternum mortis reatum incurrunr. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat: sed, si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, conveniet confiteri.

Quicumque diei, ac noctis horâ ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando (præsertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac præterea Populum sæpè, prout sese offeret occasio, præmonebit, ut, cum sacrò Ministeriò opus fuerit, se quam primùm advocet: nullâ temporis, aut cujuscunque incommodi habitâ ratione.

Ipse verò, antequam ad bujuscmodi Administrationem accedat, paululùm, si opportunitas dabitur, orationi, & sacræ rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, & cæremonias pro temporis spatîo prævidebit, & perleget, studebitque sententias tutiores, maximè ubi de valore Sacramenti agitur, ad praxim deducere.

In omni Sacramentorum administratione Superpelliciò sit indutus, & desuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit, nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

Adhibebit quoque unum saltèm, si habeat, vel plures Clericos, prout loci & Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu, & Superpelliciò pariter indutos.

INDEX RERUM PRIMI LIBRI AGENDÆ OLOMUCENSIS.

De iis, quæ in Sacramentorum administratione generaliter
servanda sunt.

	<i>Pagina</i>
De Sacramento Baptismi.	4.
De Materia Baptismi.	5.
De Forma Baptismi.	<i>ibidem.</i>
De Ministro Baptisimi.	6.
De Baptizandis Parvulis.	7.
De Patrinis.	8.
De tempore, & loco administrandi Baptismum.	9.
De Sacris Oleis & aliis requisitis.	10.
Ordo Baptismi Parvulorum.	13.
De Baptismo Adultorum.	23.
Ordo Baptismi Adultorum.	25.
Ordo supplendi omiſſa ſuper Baptizatum.	49.
Ritus ſervandus, cùm Episcopus baptizat.	51.
Benedictio Fontis Baptismi, extra Sabbathum Paſchæ, & Pentecoſtes, cùm Aqua conſecrata non habetur.	52.
De Sacramento Confirmationis.	
Quomodo Parochi ſuos Parochianos inſtruere debeant, qui Sacramentum Confirmationis ſuſcipere volunt.	57.
De Sacramento Pœnitentiæ.	59.
Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.	<i>ibidem.</i>
Absolutionis Forma.	61.
De abſolutione ab Excommunicatione in foro exteriori.	62.
Ritus abſolvendi Excommunicatum jam mortuum.	64.
De modo abſolvendi à ſuſpenſione, vel ab interdicto, extra vel intra Sacra- mentalem Confeſſionem.	65.
Bulla Cœnæ Domini.	67.
Cafus Pontifici reſervati.	78.
Cafus Episcopo reſervati.	82.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.	84.
Ordo ministrandi Sacram Communionem.	86.
De Communione Paschali.	89.
De Communione Infirmorum.	90.
De Sacramento Extremæ Unctionis.	96.
Ordo ministrandi Sacramentum Extremæ Unctionis.	98.
Septem Psalmi Pœnitentiales cum Litanis.	106.
De Visitatione & cura infirmorum.	117.
Modus juvandi morientes.	129.
Ordo commendationis animæ.	130.
In Expiratione.	146.
De Exequiis.	148.
Officium Defunctorum.	160.
De Officio faciendi in Exequiis absente corpore defuncti, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniversario.	204.
Conductus Defunctorum.	205.
De Exequiis Parvulorum.	210.
Ordo sepeliendi Parvulos.	211.
De Sacramento Matrimonii.	216.
Decisiones Dubiorum circa Jus Parochorum copulandi desponsatos in diversis casibus.	219.
Formula promulgandi Sponfos.	225.
Decretum S. Concilii Tridentini, de legitima celebratione Matrimonii.	226.
De impedimentis Matrimonii.	233.
Impedimenta dirimentia	234.
Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.	235.
Benedictio Annulorum.	240.
Modus introducendi Mulierem post Nuptias.	241.
Modus introducendi Mulierem post partum.	242.
Ad introducendam Mulierem in partu mortuam.	244.
Formula Scribendæ in Libris habendis apud Parochos, ut infra notatur.	245.
Forma describendi Baptizatos in primo Libro.	<i>ibidem.</i>
Forma describendi Confirmatos in secundo Libro.	246.
Forma describendi Conjugatos in tertio Libro.	247.
Forma describendi statum animarum in quarto Libro.	249.
Forma describendi defunctos in quinto Libro.	250.



DE

CÆREMONIALIBUS.



Um Deo gratissima sit pietas, quæ Ecclesiastico Ritui correspondet; Ideoque ut acceptabile munus à Clero hujus Diœcesis Deo per anni cursum offeratur; secundum Librum hujus Agendæ de Cæremoniis Ritui Romano ad amussim accommodavimus, ut unâ Harmoniâ, Deo competentem laudem, & Romanæ Ecclesiæ omnem nutum præstemus.

Ordinem Cæremoniarum inchoamus ab Adventu Domini, cum totus Ordo Ecclesiasticus à contemplatione Adventus Domini originem sumat. Easdem Cæremonias pro faciliiori Methodo totius Diœcesis, distribuimus in Ritum comunem, & Ritum Solennem, ut Curati Animarum pro qualitate locorum, Cæremonias adaptare ac se conformare sciant. Quæ in Missali Romano & Breviario continentur (nè Agenda in magnum volumen excrescat) hic omissa sunt.

IN ADVENTU DOMINI DE RORATE.

Quomodo Rorate seu Missa de B. V. Maria persolvenda, quæ laudabili consuetudine in hac Diœcesi introducta est.

RITUS COMMUNIS.

I. *In Feriis, simplicibus & semiduplicibus, nec non privatis Missis dicitur Gloria sine Credo. Prefatio de B. V. cum addit: Et te in veneratione. 2. Orat: de eo, quo dictum est Officium. 3. Orat: de Spiritu S. In fine Evangelium S. Joannis: In Principio &c. quod in omnibus Missis votivis dicitur.*

II. *Infra Octavam B. V. Immaculatae Conceptionis non convenit dicere Missam votivam de eadem, sed dicitur Missa de Festo cum Gloria, & Credo.*

III. *In Vigiliis & Quatuor Temporibus, in Rorate, de iis fit commemoratio, non tamen Evangelium in fine, sed dicitur Evangelium S. Joannis, ut jam insinuatum est.*

RITUS SOLENNIS.

IV. *In Dominicis & Festis Solemnibus, precipue in Missis cantatis, ubi populi concursus est, dicitur Gloria & Credo. Commemoratio solius Dominica, vel Feria, aut Festi: Reliqua observantur ut supra in ritu communi.*

V. *In Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, post Rorate alia Missa Conventualis, Romano Officio correspondens, canitur.*

BENEDICTIO DOMUS.

In vigilia Nativitatis Domini, ubi consuetudo est benedicendi domos.

Sacerdos ingrediens domum, dicat.

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde accedens ad locum præcipuum domus dicit: Antiphonam.

Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, Alleluja.

Magnificat: anima mea Dominum.

Et exultavit Spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos in mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Esuriens implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum: recordatus misericordiae suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Dum dicitur Magnificat, circuit, domum eam aspergendo Aquâ benedictâ, & incensò adolet, in fine in loco apertissimo conficiens repetit.

Antiph. Cùm esset, &c. Pater noster, &c.

V. Et nò nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo. V. Hodie, scietis quia veniet Dominus. R. Et manè videbitis gloriam ejus. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. V. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui hanc Sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da, quæsumus, ut, cujus lucis mysteria in terris cognovimus; ejus quoque gaudiis in cælo perfruamur. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Ubi sunt Clerici, poterit cantari Responsorium.

Judæa, & Hierusalem nolite timere, cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum: Emmanuel quem prædixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiscum.

V. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos.

R. Cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum: Emmanuel, quem prædixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiscum.

IN NATIVITATE DOMINI RITUS COMMUNIS.

Praterea, quæ in rubricis Breviarii & Missalis annotantur, observanda sunt sequentia:

I. Pro Matutino bujus sacre Noctis datur triplex pulsus campanæ. Primus, hora cecimâ. Secundus mediâ undecimâ, compulsus omnibus campanis fit hora undecimâ. Desuper inchoatur Matutinum.

II. Ante duodecimam non inchoatur Sacrum, quia sacri Canones prohibent ante mediam noctem celebrare.

III. Ex Decreto Telesphori Papæ tres Missæ celebrandæ sunt. Prima, ante Laudes. Secunda in aurora. Tertia more consueto.

IV. Possunt tres Missæ privata consequenter dici post mediam noctem, quia nullo Jure prohibetur. Qui tres Missas celebrare nequeant, tertiam Officio correspondentem dicant.

V. *In prima Missa nocturna, dum dicitur Hymnus: Gloria in excelsis Deo, pulsantur omnes campanæ intra & extra Ecclesiam, in signum letitiæ.*

VI. *In prima & secunda Missa omittitur purificatio calicis, & ablutio digitorum sit super vas vitreum. Parochi verò, qui in Filialibus Ecclesiis celebrare coguntur, purificationem cum ablutione observent, vel purificatoriò immergant, & exiccet.*

RITUS SOLENNIS.

I. *Matutinum absque Pluviali canitur.*

II. *Pater noster, Ave Maria, & Credo dicitur in sedili stando. Desuper clarâ voce intonat Celebrans Domine labia meâ &c. Deus in adjutorium &c. finitò Hymnò, Officians sedet per omnes Psalmos. Ad Gloria Patri, &c. detectò capite profunde se inclinat. Ad Versum stat dictò Pater noster, &c. flectit; ad Erenè nos, &c. surgit, & Chorus respondet: Sed libera nos, &c. Quæ lectionem aut Evangelium canit, dicit: Jube Domne benedicere, & non Domine hoc solis Episcopis competit, si alius Superior non adsit præter Officiantem. Ab inferiori, non proferuntur verba Benedictionis, sed Chorus immediatè respondet, Amen.*

III. *Lectiones & Evangelia dicuntur in medio Choro è regione Altaris. Ad Tu autem Domine, &c. profunda inclinatio capitis sit versùs Altare, & Chorus. R. Deo gratias.*

IV. *Hymnum Te Deum Laudamus, &c. intonat Officians clarâ voce, quem Chorus prosequitur. * Ad versum Te ergo quæsumus, flectitur. Quò finitò canit Orationem & dictò: Benedicamus Domino, in Choro respondetur: Deo gratias. Non dicitur: Fidelium animæ, &c. Sed recedit Officians cum ministris ad Sacristiam & primam Missam inchoat.*

V. *In Missa prima ad Hymnum angelicum. Gloria in excelsis, &c. pulsantur omnes campanæ, ut supra dictum est, sub Credo, dum Chorus, canit: Et incarnatus est, &c. flectit celebrans utroque genu in summo gradu Altaris, & omnes ministri cum eo.*

VI. *Post sacrum primum absolvuntur Laudes more Vesperarum in Pluviali, & ad Benedictus fit Altaris incensatio, &c. &c.*

IN FESTO S. STEPHANI.

Benedictio Frugum, quæ ad pabulum, animantium porriguntur

Notandum, quòd semina allata non ponantur ad Altare, sed ad mensulam in hunc finem preparatam. Ubi verò copia frumentorum concurrit, possunt latores tenere in manibus.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit Cælum & terram. ✠. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

LECTIO ACTuum Apostolorum. In diebus illis : Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellabatur Libertinorum & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant in Cilia, & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur. Audientes autem hæc dissecabantur in cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cùm autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto : intendens in Cælum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video Cælos apertos & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magnâ, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum, invocantem & dicentem: Domine Jesu, accipe Spiritum meum. Positis autem genibus clamavit voce magnâ dicens: Domine nè statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Subsequitur Evangelium.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.

R. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnum cælorum, homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superfeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem crevisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus hoc homo fecit. Servi autem dixerunt ei: vis imus & colligimus

musea? & ait: non, nè fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

Finiò Evangelio Sacerdos dicit:

Per istos sermones Sancti Evangelii, indulgeat nobis Dominus noster Iesus Christus nostra crimina & delicta. *R.* Amen.

Deinde Bene ✠ dicat Dominus hanc creaturam, pabuli, hordei, avenæ, siliginis, & *si quæ sint præterea.* *R.* Amen.

Immediatè sequitur Exorcismus.

EXorcizo te creatura avenæ, & aliarum frugum, quas populus Domini ad benedicendum in hac sacra die attulit, in nomine Dei, Pa ✠ tris, qui est sinè initio, & sapientis sanctissimi Fi ✠ lii ejus, qui assumens carnis nostræ formam redemit nos de diabolica potestate, & in nomine bonitatis Spiritûs ✠ sancti Paraclyti, qui virtute suâ totius mundi machinam gubernat. Itèm exorcizo te universum semen quodcunque apportatum es ad benedictionem, in nomine Sanctissimæ Trinitatis unius, ad cuius imperium cuncta sunt creata, & creantur omnia, præsentia, præterita, & futura, ut sis semen exorcizatum & consecratum, ad utilitatem humani generis: ut ex eo seminantes, multiplicem fructum percipere mereantur. Insuper animalia sua ex eo pascentes, quæcunque ex hac avena, vel universo semine in hac consecratione fuerit, gustaverint, periculum quodcunque per circulum anni non sentiant sibi nociturum, adjutoriò Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui es conditor & creator cunctorum, qui universa ex nihilo creâsti, exaudi preces nostras, ut
hanc

hancavenam, cunctaque semina, quæ populus tuus attulit, bene ✠ dicere, & sanctifi ✠ care digneris: ut quodcunque animal ex eo gustaverit, in tua benedictione ubique maneat, & per eam sanitatem & fortitudinem cunctis temporibus adipisci mereatur. Insuper clementiam tuam suppliciter deprecamur, ut ubicunque seminata fuerint, sive in hortis, sive in campis, nec erugo, nec rubigo, nec tineæ, nec vermes nocituri, nec grandis, nec aliqua tempestas, vel aura corrumpens, eisdem, tua benedictione protegente, nocere valeant. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Oremus.

DEus qui temporibus Eliæ Prophetæ cælum, à nubibus restringendo clausisti, & rursus aperiendo te mirabilem ostendisti: exaudi preces plebis tuæ, per unigenitum tuum, quem consubstantialem & coæqualem tibi in divinitate credimus, & per Spiritum sanctum Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, & per merita beatissimi Prothomartyris Stephani, cujus hodie festum celebramus, ut benedi ✠ cas, & sancti ✠ fices, hanc avenam, hordeum, filiginem, & *si quæ sint præterea*, ut, quæcunque animalia ex eis gustaverint, adiutorium sanitatis & incolumitatis recipiant; per te Domine sancte Pater, qui cum Filio & Spiritu sancto vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Postea dicat:

ET benedictio Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super hanc creaturam avenæ, hordei, filiginis, *reliquorum, si præterea sint, seminum.* **R.** Amen.

Postremò aspergantur Aquâ Benedictâ, & thurificentur.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Benedictio Vini.

IN Festo S. Joannis Evangelistæ; post Missam majorem ante Evangelium In Principio, quod tunc omittitur, per Sacerdotem celebrantem, retentis omnibus paramentis, vinum à populo oblatum, in memoriam & honorem S. Joannis, qui venenum innocuè sumpsit, benedicatur hòc modò :

Ps. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit Cœlum & terram. *Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo. *V.* Initium sancti Evangelii secundum Joannem. *R.* Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST,** & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. *R.* Deo gratias.

O remus.

PER istos sermones sancti Evangelii, & per merita sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ, Bene **✠**dicere, & Confe**✠**crare digneris, Domine Deus, dexterâ tuâ, hunc calicem vini & cu-

& cujuslibet potus: & præsta, ut omnes in te credentes, & de calice isto bibentes, benedicantur, & protegantur. Et sicut Beatus Joannes de calice bibens venenum, illæsus omninò permansit, ità isti hodie in amore tuo, & Beati Joannis, de calice isto bibentes meritis ipsius ab omni ægritudine veneni, & noxiis quibusvis absolvantur; & corpore ac animâ se offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Bene **✠** dic Domine, hanc creaturam potus; ut sit remedium salutare omnibus sumentibus: & præsta, per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ex eo gustaverint, tam animæ, quàm corporis sanitatem, te donante percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Concludendo.

ET Benedictio Dei omnipotentis, Patris, **✠** & Filii, **✠** & Spiritus **✠** sancti, descendat super hanc creaturam vini, & cujuslibet potus, & maneat semper.

Postremò Aquâ Benedictâ aspergat.

Quod si Benedictio illa fiat privatim extra Missam, Sacerdos superpellicio ~~et~~ stola indutus, eam conficiat secundum eandem formulam incipiendo: Adjuutorium nostrum, &c. ut supra, usque ad finem. Nisi quòd in locum Evangelii: In principio erat Verbum, &c. substituat Evangelium sequens;

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapidæ Hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum: capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete Hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum, & dicit eis Jesus: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Ut au-

tem gustavit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: omnis homo primum bonum vinum ponit? & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque ad huc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galileæ, & manifestavit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli ejus.

IN PRO FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Sacerdos ingrediens Domum dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Antiphona.

Magnum hæreditatis mysterium, templum Dei factus est uterus nesciens virum; Non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient dicentes gloria tibi Domine, Alleluja.

Canticum Magnificat anima mea, &c. ut supra Pag: 254.

Aspergitur & incensatur domus, ut supra Pag: 255. & repetitur Antiph: Magnum hæreditatis mysterium, &c. Pater noster, &c.

✠. Et nè nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo.

✠. Vocatum est nomen ejus JESUS. *R.* Omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. ✠. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum,

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui salutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fæcundâ, humano generi præstitisti, tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere. Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Re-

Responsorium.

Verbum caro factum est; & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. *℣.* In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *℞.* Plenum gratiâ & veritate.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ DOMINI.

Benedictio Domûs, ubi moris est benedici.

In Ingressu. Pax huic Domui, & omnibus habitantibus in ea.

Antiph. Ab oriente venerunt Magi in Bethlehem adorare Dominum, & apertis thesauris suis pretiosa munera obtulerunt, aurum Regi magno: thus Deo vero: myrrham sepulturæ ejus. Alleluja.

Canticum. Magnificat *ut supra* fol: 254. *Aspergitur, & incensatur domus prout in vigil: Natiuit: Domini, & in fine reperitur*

Antiph: Ab oriente venerunt, &c.

Pater noster. *℣.* Et nè nos inducas in tentationem. *℞.* Sed libera nos à malo. *℣.* Omnes de Sabba venient. *℞.* Aurum, & thus deferentes. *℣.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat. *℣.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus stellâ duce revelasti; concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. *℞.* Amen.

Responsorium. Illuminare, illuminare Jerusalem, quia venit lux tua. Et gloria Domini super te orta est JESUS Christus ex MARIA Virgine.

V. Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & reges in splendore ortus tui. *R.* Et gloria Domini super te orta est, &c.

Benedictio Salis &c. Aquæ.

Ritu communi omnia infrà posita leguntur, quæ ritu solenni cantantur, & quæ Subdiacono aut Diacono peragenda sunt, hac Sacerdos (qui Aquam benedicit) absoluit inditus superpellicio & stola. Si ritu solenni benedicatur in Vigilia Epiphania post Completorium Sacerdos indutus sacris vestibus cum Pluviali, & Diaconus cum Subdiacono sacris sui Ordinis vestibus induti, præcedentibus Acolytis cum cereis & cruce, thuribulo & aliis Clericis sequentibus, veniant ad locum, ubi paratus est alveolus cum aqua. Et dum recedunt de Choro, Cantores canunt Responsorium, subsequens in Directorio Chori expressum.

Hodie cæli aperti sunt, & mare dulce factum est: terra exultat: montes & colles lætantur. Quia à Joanne in Jordane Christus baptizatus est.

V. Quid est tibi mare quòd fugisti: & tu Jordanis quia conversus es retrorsum? *R.* Quia &c. *repetitur.*

Finitò Responsorio, ante alveum aquæ, cantor incipit Antiph:

Vox Domini super aquas, Alleluja: Deus Majestatis intonuit, Alleluja.

Psalmus 28.

Afferte Domino Filii Dei: afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus, adorete Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentes cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensâ: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: & sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo in pace.

Gloria Patri, &c. *Repetitur Antiphona.* Vox Domini.

Antiphona pro 2. Psalmo.

IN Ecclesiis benedicite Dominum Alleluja, de fontibus Israël Alleluja.

Psalmus 67.

EXurgat Deus & dissipentur inimici ejus : & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus deficiant : Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei : & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, quia ascendit super occasum : Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus : turbabuntur à facie ejus patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo : Deus qui inhabitare facit unius moris in Domo.

Qui educit vinctos in fortitudine : similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus, cum egredereris in conspectu populi tui : cum pertransires in deserto.

Terramota est, etenim cæli distillaverunt à facie Dei Sinai : à facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est : tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea : parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus : virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti : & speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ : & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon : mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis : ut quid suspicamini montes coagulatos.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium : Dominus in eis in Sina in Sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem : accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes : inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verum tamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus ex Basan convertam: convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Praevenerunt principes conjuncti psallentibus: in medio juvenularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argentô.

Dissipa Gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israël, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Iterum reassumitur Antiphona: In Ecclesiis.

Antiphona pro 3. Psalm:

Ipsè liberavit me Alleluja: de laqueo venantium: Alleluja.

Psalm. 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu: & refugium meum Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbravit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scutò circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum poſuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum: quoniam cognovit nomen meum.

Clamavit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Iterum reſſumitur Antiphona. Ipſe liberavit me.

Quibus finitis Sacerdos in medium Chori procedens, canendo dicit:

Exaudi nos Domine. *Deinde ſequitur Chorus,* quoniam benigna eſt miſericordia tua; & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum respice nos Domine.

Sacerdos. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ.

Chorus. Uſque ad animam meam.

Sacerdos. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Chorus. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper: & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Iterum Sacerdos incipit. Exaudi nos Domine.

Chorus. Quoniam benigna eſt miſericordia tua: & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum respice nos Domine.

Deinde dicuntur Litanice cantando.

K Yrie eleiſon. **C**hriſte eleiſon. | **C**hriſte audi nos. **C**hriſte exaudi
Kyrie eleiſon. | nos.

P ater de cœlis Deus, miserere nobis.	O mnes Sancti Martyres, orate pro nobis,		
F ili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.	S ancte Silvester,	ora.	
S piritus Sancte Deus, miserere nobis.	S ancte Gregori,	ora.	
S ancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.	S ancte Martine,	ora.	
S ancta MARIA, Ora pro nobis.	S ancte Augustine,	ora.	
S ancta Dei Genitrix,	Ora.	O mnes Sancti Pontifices, & Confessores, orate pro nobis.	
S ancta Virgo virginum,	Ora.	S ancte Benedicte,	ora.
S ancte Michael,	Ora.	S ancte Dominice,	ora.
S ancte Gabriel,	Ora.	S ancte Franciscæ,	ora.
S ancte Raphael,	Ora.	S ancte Antoni,	ora.
O mnes Sancti Angeli & Arch-Angeli,	Orate pro nobis.	O mnes Sancti Monachi & Eremitæ,	orate pro nobis.
O mnes Sancti Beatorum Spirituum ordines,	orate pro.	S ancta Maria Magdalena,	ora.
S ancte Joannes Baptista,	ora.	S ancta Agnes,	ora.
S ancte Joseph,	ora.	S ancta Agatha,	ora.
O mnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ,	orate pro nobis.	S ancta Ursula cum toto tuo comitatu,	ora pro nobis.
S ancte Petre,	ora.	O mnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.	
S ancte Paule,	ora.	P ropitius esto, Parce nobis Domine.	
S ancte Joannes,	ora.	P ropitius esto, Exaudi nos Domine.	
S ancte Marce,	ora.	A b omni malo,	
O mnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ,	orate pro nobis.	A b omni peccato,	
S ancte Stephane,	ora.	A morte perpetua,	
S ancte Laurenti,	ora.	P er mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,	
S ancte Vincenti,	ora.	P er adventum tuum,	
S ancte Theodore,	ora.	P er nativitatem tuam,	

Per baptismum, & sanctum je-
junium tuum,
Per Crucem, & Passionem tuam,
Per mortem, & sepulturam
tuam,
Per sanctam resurrectionem
tuam,
Per admirabilem ascensionem
tuam,
Per adventum Spiritus sancti
paracliti,

Liberanos Domine.

In die iudicii, Libera nos Domine.
Peccatores,
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut Ecclesiam tuam Sanctam re-
gere & conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum, &
omnes Ecclesiasticos ordi-
nes in Sancta religione con-
servare digneris,

Te rogamus audi nos.

*Hic Sacerdos, qui facit officium, exurgens in medio, dicat hos
tres .v. gradatim erigendo vocem.*

Ut hanc Aquam be **✠**nedicere
digneris,
Ut hanc Aquam be **✠**nedicere,
& san **✠**ctificare digneris,
Ut hanc Aquam be **✠**nedicere,
san **✠**ctificare, & con **✠**se-
crare digneris,

Sequentur Cantores.

Ut nosmetipsos in tuo sancto ser-
vitio confortare, & conserva-
re digneris,
Ut omnibus benefactoribus no-
stris sempiterna bona retribuas,
Ut fructus terræ dare & conserva-
re digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis
Requiem æternam donare di-
gneris, te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te ro-
gamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exau-
di nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster.

Sacerdos, qui facit officium, dicat.

.v. Et nē nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **V.**
Salvos nos fac Domine Deus noster. **R.** Et congrega nos de nationibus. **V.**

Ut confiteamur nomini sancto tuo. *R.* Et gloriemur in laude tua. *V.* Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo. *R.* Et usque in sæculum, fiat, fiat.

Sufflat in Aquam tribus vicibus, sic dicendo.

Exsufflo te omnis legio satanæ, In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ sancti, Amen.

Exorcismus, qui dicitur cantando.

EXorcizo te Creatura aquæ: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ sancti: nè communices ulli spiritui immundo: sed dabis honorem viventi, atque regnanti Patri, & Filio, & Spiritui sancto: ut ubicumque aspersa fueris, spiritus immundus ab eo loco recedat. Itémque adjuro te creatura aquæ: In nomine Jesu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, Regis & Judicis nostri, ut sis purgatio, & sanctificatio hominum: quos Deus ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est. Te ergo invoco, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus: ut hanc aquam exorcizare & bene ✠ dicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus spiritus locum in ea ultra non habeat, vel potestatem: sed ubicumque aspersa fuerit Angelorum tuorum ibi descendat exercitus. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

Deinde Subdiaconus, vel Acolytus dicat.

Lectio libri Numeri.

IN diebus illis: Convenerunt filii Israël adversum Moysen & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt: Da nobis aquam, ubi bibamus. Ingressusque Moyses, & Aaron, dimissa multitudine, in tabernaculum fæderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus exaudi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratione eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.

Chorus cantet Tractum.

ULtimo Festivitatis die dicebat Jesus: qui in me credunt., flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem

quem accepturi erant credentes in eum; Alleluja, Alleluja. *ŷ.* Qui sitit, veniat ad me, & bibat: & de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem &c.

ŷ. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: super aquas multas. Alleluja.

Diaconus acceptâ benedictione dicit:

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Exorcismus Aquæ, qui debet cantari.

Exorcizo te creatura aquæ, per Deum ✠ vivum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠ sanctum: per Deum totius creatorem: ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atque insidias inimici: & diabolicas potestates. Ut ubicumque aspersa fueris: sit propitio Deo defensa domus ipsa. Et sicut defensæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per signum sanguinis agni; sic defendantur Domine domus famulorum, famularumque tuarum, per asperionem hujus aquæ. In ipsius nomine te exorcizo: qui verbô suô fontem te manare præcepit. Et in ipsius nomine te exorcizo; qui Filios Israël per medium maris eduxit: In ipsius nomine te exorcizo; qui super te suis sanctis pedibus ambulavit: Et in ipsius nomine te exorcizo: quem Joannes in te baptizavit: ut omnis spiritus erroris: & omnes phantasiæ dæmonum, per te aspersæ effugiant, & separentur de eodem loco. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Sequitur Exorcismus, qui etiam à Sacerdote debet cantari.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Pa **✠**tris omnipotentis, & in nomine Domini nostri Jesu Christi: ut omnis immundus spiritus, vel incurio Satanae separentur à te creatura aquæ. Proinde ergo efficere aqua exorcizata ad effugandum omne phantasma inimici: & ipsum inimicum eradicare, & effugare valeas, in nomine Dei Pa **✠**tris omnipotentis: Qui cum eodem Filio suo, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Oratio, quæ cantatur in tono solemni.

BE **✠**nedic Domine hanc aquam benedictione cœlesti: & assistat super eam virtus Spiritus sancti: ut ubicumque aspersa fuerit: longè recedat virtus inimicorum, umbra phantasmatum, incurio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum: omnis denique Spiritus procellarum: te ipso benedicente effugetur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Oratio super saltem legenda mediocri voce.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super hoc sal, cui non minimam gratiam conferre dignatus es: ut ex illo possint universa condiri: quæ hominibus ad escam per tuum Filium Dominum nostrum procreari iussisti: per quem te Domine supplices exoramus: ut sal istud sancti **✠**ficare, & bene **✠**dicere, & conse **✠**crare pro tua pietate digneris: ut ex vultu divinæ majestatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos spiritus possit accipere. Expellat de tabernaculis famulorum, famularumque tuarum, quidquid potest pestiferum esse: & exhibeat plenum salutis effectum. Deterreat præstigia, phantasmataque compescat, per signum sanctæ Cru **✠**cis Filii tui Domini nostri, & tutelam fidelissimam desiderantibus præstet, per

per hoc tuum Domine JESU Christe signaculum, quod nullius dolus nullius pertinacia designavit.

Alia benedictio Salis, quæ dicitur cantando.

Benedico te creatura Salis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: qui te ad tutelam humani generis procreavit: & populo veniente ad credulitatem, per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noster; ut hæc creatura salis, in nomine sanctæ Trinitatis, efficiatur salutare Sacramentum: sitque perfecta medicina in visceribus fidelium tuorum. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Oratio super Sal legenda.

Intuere Domine hanc creaturam salis: quam usibus humani generis tribuisti. Et petimus omnipotens æterne Deus: per signum Crucis unigeniti Filii tui Domini nostri JESU Christi, ut ubicumque aspersa fuerit aqua, hoc sale commixta: sit efficax ad evacuandam omnem adversariam potestatem inimici. Consumat, & arefaciat: nihilque ibi remaneat immundum, nihil pestiferum: sed per invocationem nominis tui, sit nobis mundum, ac benedictum. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Exorcismus cantandus.

Exorcizo te creatura salis: per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum totius creatorem: per eum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit: ut sanaretur sterilitas Aquæ. Qui per Apostolum Paulum dicere dignatus es: Sit cor vestrum sale conditum. Ideoque efficere sal ad evacuandum, & expellendum inimicum, omnemque virtutem & putredinem ejus, in nomine Domini nostri JESU Christi. Qui venturus est judicare vivos & mortuos, &c.

Oratio legenda mediocri voce.

Oremus.

Dominus, & Salvator noster JESUS antequam ad cœlos ascenderet, Apostolis suis mandavit, dicens: Habete in vobis sal: & pacem habete inter vos. *Hic ponat sal in aquam dicens:* Hæc commixtio salis & aquæ pariter fiat. In nomine Pa^{tris}, & Fi^{lii}, & Spiritûs^{sancti}, & in virtute Domini nostri JESU Christi: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Cantatur.

Exorcizo te creatura salis & aquæ in nomine Pa^{tris}, & Fi^{lii}, & Spiritûs^{sancti}: Exorcizo te per Deum vivum. Exorcizo te per JESUM Crucifixum. Exorcizo te per Spiritum sanctum. Per Deum te exorcizo, qui te per Elisæum Prophætam in aquam mitti iussit dicens: Hæc dicit Dominus: Sanabitur aqua ista: & non erit in ista mors, neque sterilitas. Per ipsius nomen te adjuro: qui divinâ voce oris sui Apostolis suis locutus est: Vos estis sal terræ: & cor vestrum sit sale conditum, ut omnes, qui ex te sumpserint, sint sanctificati in animabus, & corporibus. Ut ubicumque aspersa fueris: effuges inimicum: & præstes omnibus remissionem peccatorum: Expellas insidias & excludas omnes dæmonum tentationes. Te autem conditor, & restaurator omnium elementorum tuorum, qui hæc fluenta tuo nomine sanctificare, & ad purgationem locorum proficere iussisti, deprecor, ut nominis tui invocatâ maiestate, gratiam Spiritûs sancti hæc aqua accipiat, valeatque ad expellendas diabolicas artes, per manus servorum tuorum aspersa, & per sanctificationem, quam tu Domine sanctificando sanctificas, & benedicendo benedixisti. Ut omnis immundus spiritus aspersione hujus aquæ repulsus discedat: & omnis incurfus satanæ, & omne phantasma; omnisque immunditia, & putredo inimicorum longè recedat. Nec consistendi, aut resistendi ha-

beat

beat potestatem, nec in eodem loco standi, aut commorandi, sed victus & destructus abscedat diabolus cum omni pompa sua. Per virtutem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Sequitur in eodem tono.

EXorcizo te creatura aquæ sale conspersa per Deum ✠ vivum: per Deum ✠ Sanctum: per Deum totius creaturæ: qui te in principio separavit ab arida, & in quatuor flumina dividere dignatus est. Ut ubicumque portata, vel aspersa fueris: effugetur, & separetur inimicus, & omnis putredo ejus, ut sit ipsa domus Deo dicata. Per virtutem Domini nostri Jesu Christi: qui venturus est judicare vivos, &c.

Item super aquam.

TE autem creatura aquæ adjuro per Deum vivum; per Deum verum; per Deum sanctum: per eum te adjuro, qui te in principio separavit ab arida. Adjuro te per Deum vivum: qui te de fonte paradisi manare fecit, *Hic dividat aquam in quatuor partes*, & in quatuor fluminibus exire jussit: & totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Cana Galileæ suâ potentiâ convertit in vinum: qui super te suis sanctis pedibus ambulavit: qui tibi nomen imposuit Syloë. Adjuro te per eum; qui in te Naaman Syrum à sua lepra, per manum Elisæi Prophetæ mundavit, aqua sancta ✠: aqua benedicta ✠: aqua, *Hic tangat aquam dicens*, lavans sordes, & mundans peccata. Adjuro te per Deum vivum: ut te mundam exhibeas, nec aliquam phantasiam in te retineas: sed efficiaris exorcizata, ad effugandum inimicum, & omnes actus fulguris. Ut ubicumque aspersa fueris, sive in domo, sive in agro, sive in vineis, sive in seminatis campis, sive in fructibus, sive in angulis cubiculorum, sive in navibus, sive in puteis, vel si quis ex te gustaverit, fias ei defensio, & remedium sanitatis. Ipse quoque diabolus elongetur, & separetur, quantum

elongatum est cœlum à terra : lux à tenebris : veritas à mendacio , iustitia ab iniustitia : dulce ab amaro ; tantum elongetur , & separetur , ille immundus spiritus ab habitationibus famulorum , famularumque Dei , per nomen Domini nostri Jesu Christi : qui cum Patre , & Spiritu sancto vivit , & regnat.

Hic dicitur in tono præfationis. **V.** Per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. **V.** Sursum corda. **R.** Habemus ad Dominum. **V.** Gratias agamus Domino Deo nostro. **R.** Dignum & iustum est.

VErè dignum , & iustum est : æquum , & salutare. Nos tibi semper & ubique gratias agere. Domine Deus cœli , & terræ , cuius virtuti subdita sunt universa. Cujus verbò creata sunt omnia , supermitte , quæsumus virtutem Spiritus sancti tui , super hanc creaturam : ut fiat aqua sanctificata , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti. Te igitur omnipotens Deus , altissima salus , & respector perpetuus , humiliter rogamus , & petimus : ut nos exaudias & misereris precibus nostris : quatenus ubicumque hæc aqua aspersa fuerit : fiat te jubente causa purificationis. Habeat quoque perpetuam gratiam ipsa domus , fidem rectam , spem certam , charitatem perfectam , gaudium verum , honorem perpetuum : ut omnes malevoli , & invidi spiritus ab ea expellantur , & separentur. Per Christum Dominum nostrum.

Sequitur in tono orationum , non præfationum.

ITerumque te alloquor aqua , quæ lucis similitudinem habes , tu sub cœlo , tu super cœlum , tu sub terra , tu super terram. Super te invoco nomen sanctum , atque mirabile , Dei omnipotentis ; qui te suâ potentia convertit in vinum : suspendit super cœlos , congregavit in terra , miscuit in mari. Qui te arcanis , & velocibus ventis pluere præcepit : & ad usus hominum , & lavacrum dedit : & sitientibus potum subministravit , super aquam etiam Spiritus Domini non solum ferebatur : sed etiam fertur. Adjuro ergo te creatura aquæ per septiformem

Spi-

Spiritum Dei vivi. Adjuro te per vocem tonitruï corruscantis, tremendi, & cœlestis Regis. Adjuro te per lignum mysterii: de quo aqua percussa, statim dulcis facta est. Adjuro te per eum, qui omnia creavit, nè contemnas vocem humilitatis meæ: sed expellas omnem umbram, omnes satellites adversariorum: omnes machinationes diaboli, sive spirituum immundorum, sive biothanathorum, sive errantium, sive ex invocatione magicæ artis; sive præcantatorum argumenta: sive draconum, & omnium volucrum, vel viperarum, quia imperat tibi Dominus Jesus Christus Filius Dei vivi: quòd mox, ut aspersa fueris in nomine Dei Sabaoth: sive in hominibus, sive in domibus, sive in vineis, sive in pecoribus, vel in quibuslibet animantibus, sive in seminatis campis, sive ab hominibus conculcata fueris: sive in navibus: sive in mari: sive in paludibus: sive in qualicumque creatura: vel in quocumque loco aspersa fueris: sive super infirmum, vel languentem, sive in potum data fueris homini in valetudine detento: aut maligni spiritus infestatione percusso: mox expellas, & excludas, omne malignum: ut possit homo velocius salvus fieri: per virtutem Domini nostri Jesu Christi: qui neque dici, neque scribi, neque computari potest: cui nomen est Deus.

In tono præfationis. Tu autem Domine, qui per Angelum tuum fontem Agas ostendisti, & ex eo Ismaelem sitientem potasti. Qui pueri tui Abrahæ in Mesopotamia preces audisti: & omnia desideria cordis ejus implesti. Qui famulo tuo Moyfi in deserto eremi petram percutere, & ex ea aquam producere, & populum rigare jussisti.

Dum supra dicta cantantur, in Sacristia ornant Clerici patrinum deferentem Crucem, velò aliquò pulcherrimò, quem comitantur Diaconus, & Subdiaconus cum Clericis, & multis luminaribus, & semper incensando, perveniunt ad locum, ubi benedicetur aqua. Ibi patrinus genuflectit. Et Sacerdos prius. Crucem incensans, de manu patris illam accipit. Et ter dicit sequentem versum, Crucem in Aquam immergendo. Qui Aquam amaram immisò lignò dulcorasti: benedicere, & sanctificare digneris hanc creaturam aquæ. In nomine Patris, ✠ & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ sancti.

Deinde cantantur infra scriptæ Antiphona à Cantoribus. Quibus expletis reddit Crucem patrino, eam incensando: quam refert ubi acceperat.

Interim Chorus pergit canendo.

Baptizatur Christus & sanctificatur omnis immundus, & tribuit nobis remissionem peccatorum: aquâ & spiritu omnes purificamur.

Antiphona.

Baptizat miles regem, servus dominum suum: Joannes Salvatorem: aqua Jordanis stupuit: columba protestatur, paterna vox audita est: hic est filius meus.

Sacerdos prosequitur cantando.

Ut ubicunque aspersa fuerit in nomine tuo: omnes sævas inimici jaculationes expellat. Illud etiam rogamus, & petimus, Deus omnipotens: ut sicut ad domum Raguelis sanctum Angelum tuum Raphaëlem mittere dignatus es: ut Asmodæum dæmonem colligaret: simile quoque beneficium domibus nostris donare digneris. Ut ubicunque hæc unda aspersa fuerit: numquam malignus spiritus in eadem domo consistendi, vel commorandi habeat potestatem: sed confusus protinus, & destructus abscedat. Per Christum Dominum nostrum. Per quam majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim, sociâ exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur: supplici confessione dicentes: *Chorus cantet in tono feriali.* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, &c.

Cantando pergit Sacerdos.

Exorcizo te Spiritus immunde per Deum vivum, qui fecit Cælum & Terram, Mare & omnia quæ in eis sunt: ut omnes adversarii: omnes exercitus diaboli: omnes incurfus: & omnia phantasmata inimici eradificentur, & effugiant ab hac creatura salis, & aquæ: ut sit sancta, & sa-

& salutifera : ignis ardens adversus omnes insidias eorum. Ut ubicumque portata, vel aspersa fuerit hæc creatura salis, & aquæ: sit sanitas, sinceritas, corporis medicina: ut effugiat omnis infirmitas. Fulgura quoque, & grandines ab aspersione hujus aquæ separentur, & effugiant, & elongentur. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Oremus.

Verè Sanctus, verè Benedictus: terribilis, metuendus, & adorandus es, Domine Deus noster: ab occultis nostris munda nos, & ab alienis parce servis tuis: ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem: quam Dominus & Salvator noster per Evangelium suum orare docuit, dicens: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et nè nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.

Legendo.

Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris. Libera nos quæsumus Domine, famulos, & famulas tuas, à gladio, à fame, à tentatione diaboli, à percussione sæculi, & ab infirmitatibus malis. Per Liberatorem, & Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; qui tecum vivit, & regnat, &c.

Oratio.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus: Pater Domini nostri Jesu Christi: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob: exorcizante me istam creaturam salis, & aquæ precor te: ut me exaudire digneris in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, regis, & judicis nostri: ut

fit purgatio, & purificatio omnibus hominibus: atque in eis, in quibus aspersa fuerit, habeat potestatem ad effugandos imundos, & phantasmaticos spiritus: & omnem nefarium diabolum: atque omnes figuras, & minas satanæ. Concedatur etiam ei potestas ad exterminandum fulgura, & grandines, & omnes adversitates humanæ naturæ: ut non possit immundus spiritus nocere his locis, in quibus aspersa fuerit: sed confusus, & destructus abscedat: Per virtutem Domini nostri Jesu Christi Regis. Qui cum Deo Patre vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

A Djuro te creatura salis, & aquæ in nomine Pa **✠**tris, & Fi **✠**lii, & Spiritûs **✠**sancti. Adjuro te in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui super te suis Sanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradisi produxit. Adjuro te per eum, qui Apostolis suis præcepit, dicens: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Pa **✠**tris, & Fi **✠**lii, & Spiritûs **✠**sancti. Per ipsius nomen te adjuro: ut ubicumque aspersa fueris, omne phantasma dæmon ipse, & omnis incurio diaboli eradicetur, & effugiat: per Deum vivum **✠**per Deum verum **✠**per Deum totius creatorem **✠**, ut neque hominibus, neque domiciliis, neque navibus, neque pecoribus, neque frugibus, neque arboribus noceas. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. **R.** Amen.

Oratio.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene **✠**ditionis infunde: ut creatura tua mysteriis suis serviens, ad abjiciendos dæmones, morbósque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum:

ut

ut quidquid in domibus, vel in locis Fidelium hæc unda res-
perferit: careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic
resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant
omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolu-
mitati habitantium invidet, aut quieti: asperzione hujus aquæ
effugiat, atque discedat: ut salubritas per invocationem tui
nominis expetita, ab omnibus impugnationibus sit defensa.
Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæ-
culum per ignem.

Legendo.

Benedictio Dei Pa-^{tris}, & Fi-^{lii}, & Spiritûs ^{sancti}, de-
scendat super hanc creaturam salis & aquæ. *R.* Amen.

*Subiò Sacerdos incipiat cantando: Credo in unum Deum, quò finito,
aspergat populum Aquâ benedictâ, & cantent in Choro Antiphonam: Asperges
me. cum Gloria Patri,*

Quibus finitis Diaconus cantet Evangelium.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu bap-
tizato, & orante, apertum est cælum: & descendit Spiritus sanctus
corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est: Tu
es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat inci-
piens quasi annorum triginta, & putabatur Filius Joseph, qui fuit He-
li, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui
fuit Joseph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui
fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Matiath, qui fuit Mathathiæ, qui
fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa,
qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui
fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jesu,
qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit
Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,
qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan,
qui

qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salomon, qui fuit Naafon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Efron, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Ifaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusalem, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane.

Quò finito Cantores incipiant. Te Deum laudamus: te Dominum confitemur, & totum decantetur àstantibus in Choro.

Deinde dicat Sacerdos. *V.* Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *R.* Et salutare tuum da nobis. *V.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oratio.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis: qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

BENEDICTIO AURI, MYRRHÆ, THURIS, ET CRETÆ.

In Festo Epiphaniæ Domini.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit cælum & terram. *V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Suscipe sancte Pater à mè indigno famulo tuo hæc munera, quæ in honore nominis tui sancti, & in titulum omnipotentix tuæ majestatis, humiliter tibi offero; sicut suscepisti sa-
cri-

crificium Abel iusti, & sicut eadem munera, à tribus Magis tibi quondam offerentibus suscepisti.

EXorcizo te creatura auri, myrrhæ, & thuris, per Patrem ✠ omnipotentem, per Jesum Christum ✠ Filium ejus unigenitum, per Spiritum sanctum ✠ paraclitum, ut à te discedat omnis fraus, dolus, & nequitia diaboli, & sis remedium salutare humano generi contra insidias inimici: ut quicumque divinò freti auxiliò te in suis oculis, domibus, aut circa se habuerint, per virtutem, & merita Domini, & Salvatoris nostri, ac intercessionem ejus sanctissimæ Genitricis & Virginis Mariæ, ac eorum, qui hodie similibus muneribus Christum Dominum venerati sunt, omniumque Sanctorum ab omnibus periculis animæ, & corporis liberentur, & bonis omnibus perfrui mereantur. *R.* Amen.

DEus invisibilis, & interminabilis, pietatem tuam per sanctum & tremendum Filii tui nomen, suppliciter deprecamur: ut in hanc creaturam auri, thuris, & myrrhæ bene ✠ dictionem ac operationem tuæ virtutis infundas; ut qui ea penes se habuerint, ab omni ægritudinis, & læsionis incurfu tuti sint, & omnes morbos corporis & animæ effugiant, nullum domineatur eis periculum, & læti, ac incolumes tibi in Ecclesia tua deserviant: qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Postea aspergantur aqua benedicta.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ sancti descendat super hanc creaturam auri, thuris, & myrrhæ, & maneat semper. *R.* Amen.

Benedictio Cretæ.

Bene ✠ dic Domine Deus creaturam istam cretæ, ut sit salutaris humano generi, & præsta per invocationem nominis

tui sanctissimi, ut quicumque ex ea sumpserint, vel in ea in domus suae portis scripserint nomina Sanctorum tuorum Caspari, Melchioris, & Balthasari, per eorum intercessionem, & merita, corporis sanitatem, & animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

Aspergatur aqua benedicta.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ. RITUS COMMUNIS.

I. **S***I hoc festum occurat in Dominica septuagesimæ, sexagesimæ, vel quinquagesimæ, Officium de B. V. transferetur in sequentem diem, & Missa dicitur de Dominica, non tamen distributio Candelarum & Processio transfertur.*

II. *Si hac die occurrat festum Patroni, vel Titularis, translato Officio Purificationis, celebratur de Patrono, & fit nihilominus distributio Candelarum & Processio.*

III. *Si festum Purificationis transferi contingat, non transferetur Antiph. Alma Redemptoris, sed dicitur, Ave Regina Caelorum post Completorium.*

IV. *In Ecclesiis B. V. præsertim sub tit. Purific. dicatis, concurrente hoc festo cum Dominica Septuagesima, Officium erit de Dominica, in paramentis violaceis, & Missæ privatæ pariter de Dominica. Missa tamen solennis, quæ dici debet post Processionem, erit de festo Purificationis in paramentis albis.*

V. *Si incidat hæc solemnitas in diem Dominicum, prius peragitur Asperges me. Postea Celebrans ascendit altare ad benedictionem Candelarum juxta Missalis Romani præscriptionem. Quâ finita, ter aspergit, submissâ voce dicens: Asperges me, &c. Similiter benedicit more solito incensum, & ter incensat. De-*

*super diftribuantur candelæ incipiendo à dignioribus, &c. & in-
ftituitur circa Ecclefiam Proceffio juxta Rubricam Miffalis Ro-
mani.*

*Candelæ benedicendæ non ponuntur fuper Altare, fed fuper
menfulam in hunc finem præparatam, & cooperiuntur mappâ
mundâ, vel pannô fericiô donec tempus benedictionis advenierit.*

RITUS SOLENNIS.

Ritus folemnis in hac feftivitate exprimitur in Miffali Roma-
no præter fubfequentes annotationes.

I. Celebrans dum Altare afcendit, in medio ofculatur, &
vadit ad cornu Epiftolæ, ibidémque in tono Miffæ ferialis dicit:
Dominus vobifcum. Profequitur eodem tonô Orationes.

II. Celebrans detecto capite diftribuit candelas, fub qua diftri-
butione Chorus canit Antiphonam: **Lumen ad revelationem gen-
cium.**

III. Finitâ diftributione candelarum celebrans in Altari (fi
verò Venerabile adfit, extra Altare) lavat manus in cornu Epi-
ftolæ. De fuper accenduntur cerei, & non citiùs, ut vult Cere-
moniale Epifcoporum. Ordinatur Proceffio, priùs tamen Dia-
comus fubminiftrat naviculam, & Subdiaconus thuribulum.
Celebrans benedicit incenfum, & thuribulo imponit more con-
fueto. Cantores canunt Antiphonam **Exurge Domine, &c.** Quâ
finitâ, Sacerdos dicit orationem. Diaconus clarâ voce canit:



Procedamus in pace.

*Chorus Respondet: In nomine Christi, Amen. Reliqua obser-
vantur juxta Miffalis ritum.*

IN DIE CINERUM.

RITUS COMMUNIS.

I. **P**reparatur thuribulum cum navicula & vase Aquæ benedictæ, in cornu Epistolæ. Cineres debent esse aridi non lutuosi, & ponuntur in vase aliquo super Altare, id est in cornu Epistolæ, ut sit vas inter Missale, & cornu Epistolæ.

II. Benedictio Cinerum fit in cornu Epistolæ sine casula, & manipulo non tamen sine stola violacea. Dum Celebrans ascendit Altare, osculatur illud in medio & vadit ad cornu Epistolæ. Incensum ponitur in thuribulum cum Benedictione, & aspergit in medio a dextris, & sinistris. In hunc modum fit trina thurificatio.

III. Cineres imponuntur capitibus per modum Crucis, sacerdos verò ut vult Declar: Sac: Rit: Congr: 18. Julii. 1626. stans aperto capite, distribuit cineres.

IV. Populus extra gradus, Altaris ad cancellos, manibus junctis, & flexis genibus, recipit cineres, si commodè fieri possit.

V. In fine distributionis ante Orationem **Concede** tergat digitos Celebrans in angulo Altaris. Oratione persoluta inchoat Missam.

RITUS SOLENNIS.

I. Finitâ Nonâ, sacerdos stolâ & pluviâ violacê, cum ministris, competenter indutis, sine tamen dalmaticis, sed præcisè manipulo & stolâ, aut etiam planetâ ante pectus plicata adhibitis, præcedentibus Acolythis candelabris accensis, nec non thuribulo & aquâ benedictâ &c. accedit Altare; Illud in medio osculatur, & observat observanda juxta rubricas Missalis. Chorus incipit Antiphonam. **Exaudi nos Domine, &c.**

II. Persolutis Orationibus, Sacerdos aspergit & thurificat cineres modò suprâ insinuatô. Interim cantatur à Choro Antiphona. **Immutemur, &c.**

III. *Dum cantantur Antiphonæ, Celebrans genibus flexis coram Altari, imponit sibi ipsemet cineres (si alius superior non adsit) quasi à Christo reciperet, & non imponit ei Diaconus, sicut in quibusdam locis observatur. Deinde surgens imponit Presbyteris & ministris dicens: Memento homo, &c.*

Si verò dignior Sacerdos adsit, in suo habitu choralis, stans, imponit cineres Celebranti pariter stanti facie ad populum versa, capite modicum inclinato.

OFFICIUM DOMINICÆ PALMARUM.

RITUS COMMUNIS.

I. **Q**uando Celebrans in Epistola dicit: *Omne genu flectatur sufficit uno genu flectere, ut Celebrans sit expeditior ad surgendum.*

II. *In Missis privatis non extinguuntur luminaria in Altari sub Passione.*

III. *Passio inchoatur in cornu Evangelii non signando se ipsum, neque librum, sed immediatè incipit: Passio Domini nostri Jesu Christi, &c.*

Cum Celebrans pervenit ad illa verba: Jesus autem exclamans voce magnâ emisit spiritum, genu flectunt omnes utroque genu, ipse Celebrans versùs librum, junctis manibus, ac capite humiliter inclinato; fitque pausa spatiò unius Pater noster. & Sacrum mysterium contemplatur. Antequam legat partem illam, quæ in tono Evangelii dicitur, accedit medium Altaris, more solito inclinatus, dicit: Munda cor meum, &c. Jube Domine benedicere, &c. Quibus dictis rursùm ad librum rediens, non signando librum neque se ipsum, clarâ & intelligibili voce sequentia profectur, & in fine osculatur librum, dicitque: Per Evangelica dicta &c. Mi-

nister respondet : Laus tibi Christe. Hæc omnia observantur in subsequenti, feriâ tertiâ & quartâ.

RITUS SOLENNIS.

I. *Cum hac die tristibus mixta sint læta propter triumphalem ingressum Christi Jerosolymam, Altare solemniter ornatur.*

II. *Pro benedictione ac Processione pulsantur campanæ sonò harmoniacò, & observantur omnia sicut in Festo Purificationis B. V. Antequam fiat benedictio Palmarum, cum incidat in diem Dominicum, fit consueta aspersio Aquæ Benedictæ.*

III. *Post asperionem Aquæ Officians ascendit Altare, illud in medio osculatur, & cornu Epistolæ accedens, submissâ voce legit Antiphonam. Hosanna. Quam Cantores canunt. Reliqua observantur juxta ritum Missalis.*

IV. *Cum Subdiaconus cantat in Epistola ea verba : Ut in nomine JESU omne genu, &c. Ipse ac omnes alii, etiam Celebrans genuflectunt usque ad verbum. Et infernorum. inclisive.*

V. *Passio canitur in Choro à Musicis, Celebrans autem submissâ, & intelligibili voce legit. Ubi verò mos est à tribus Diaconis cantandi Passionem illam, canunt in parte Evangelii supra nudum pulpitem, & Celebrans in cornu Epistolæ, Ministris ejus adstantibus, legit. Cum ad mortem Christi pervenerit, non genuflectit, nisi simul cum Cantoribus. Illi quidem versus librum, Celebrans autem super suppedanium in medio Altaris cum Ministris. Postquam Celebrans legendo absolverit, ipse cum Ministris Ramum suum in sinistra tenentes, convertunt se ad Cantores &c. Reliquæ Cæremoniæ videantur in Missali.*

DE MATUTINIS MAJORIS HEBDOMADÆ.

RITUS COMMUNIS, ET SOLENNIS.

I. **S**anctissimum Sacramentum ante Officium transfertur in aliquod sacellum vel sacristiam cum luminibus ac lampadibus accensis. Pro Matutinis feriæ quartæ, quintæ, & sextæ, præparatur à latere Epistolæ Candelabrum triangulare cum quindecim Candelis, de cera communi, & non alba.

In Altari sex ejusdem generis ceræ. Post quemlibet Psalmum finitum extinguitur una Candela, quæ designant Apostolos à Christo deficientes. Primo loco extinguitur ea, quæ est ultima in latere Evangelii. Deinde ab alio latere, ac sic successivè omnes, ut vult ordo Romanus, præter ultimam, quæ conservatur usque ad Antiphonam post: **Benedictus &c.**

II. Matutinum inchoatur circa horam tertiam, & compulstantur feriâ quartâ omnes campanæ (reliquis duabus feriis convocatur populus crepitaculis) ut circa occasum solis terminetur.

III. Psalmi canuntur graviter, devotè ac sine instrumentis. In fine tertii Psalmi cujuslibet Nocturni, repetitâ Antiphonâ, surgunt omnes, ac stant detecto capite, donec dicatur Versus cum Responsorio, & **Pater noster** secreto, quò finitò, tecto capite (dum dicuntur Lectiones) omnes sedent.

IV. Lectiones cantantur ante Altare in Presbyterio supra præparatum legile nudum, vel tenendo in manibus Breviarium, tonò in Directorio Chori expressò. Laudes canuntur eodem tonò & modò, quò supra,

V. Ad Canticum **Benedictus** omnes stant detecto capite, interim verò luminaria omnia, Lampadésque in Ecclesia (præterquam ante Sanctissimum Sacramentum) extinguuntur. Ad versum

Ut sine timore *extinguitur in Altari cereus in latere Epistolæ à cruce remotior. Ad sequentem Versum is, qui in latere Evangelii, & sic deinceps, ut in fine Benedictus omnia luminaria reperiantur extincta in Altari.*

VI. *Cum repetitur Antiphona post Benedictus deputatus ad cereos extinguendos, amovet à cuspide candelabri triangularis supremam candelam accensam, & sustinet eam in Altaris cornu Epistolæ. Dum inchoatur: Christus factus est pro nobis obediens, &c. recedit cum ea post Altare, vel aliò modò obumbrat. Interim flebili voce cantatur Psalmus. Miserere mei, &c. omnesque flectunt, quò finitò, Celebrans surgit & capite aliquantulum inclinato, clarâ voce dicit Orationem: Respice quæsumus, &c. usque ad Qui tecum, &c. quod secretò pronunciat. Desuper fit fragor aliquantulum, donec accensum cereum post Altare producat Cero-ferarius. Reliqui de Choro in silentio recedunt.*

IN DIE CŒNÆ DOMINI. RITUS COMMUNIS & SOLENNIS.

Ceremoniæ hujus diei in Missali Romano sunt quidem clarè expressæ, nihilominus quædam observationes annotandæ sunt.

I. **C***Rux, quæ in summo Altari est, albò velò tegatur, non autem eæ, quæ in aliis Altaribus sunt, nec ea, quam Subdiaconus in Processione portat, hæ enim omnes violacèò tegendæ sunt.*

II. *Similiter velum debet esse album, quò Celebrans ad portandum Venerabile utitur, quemadmodum & cortinæ, pro Sacramento observando deputantur ad exornandum. Imò & omnia alia hic splendere debent, quia locus iste non denotat sepulchrum, sed Regiam Christi viventis.*

III. *Dum Celebrans ante processionem induit apud Altare Pluviale, retrahit se ad cornu Epistolæ ob præsentiam Sacramenti.*

IV. *Processio non fit extra Ecclesiam, sed destinatur vel ad Capellam, vel Sacristiam, aut alium locum paratum pro asseruando SS. Sacramento.*

V. *Hac die Communio est generalis. Primò, communicant Ministri, secundo, Sacerdotes stolis albis induti, sequuntur Clerici, deinde Laici.*

VI. *In Processione Pange lingua canitur tonò ordinariò. Cætera observantur juxta Missalis præscriptionem. Omnibus finitis dicuntur Vesperæ sine cantu, & Sacerdos cum Ministris denudabit Altaria.*

DE OFFICIO PARASCEVES. RITUS COMMUNIS ET SOLENNIS.

I. **S***I Festum Annunciationis B. V. in Parasceve & Sabbatho sancto occurrerit, transfertur in Choro, & foro. Vetuit enim Sac: Rit: Congr: die 9. Maji. 1606. Missam celebrare hac die de B. V. etiam in Æde Lauretana, etiam ratione concursus populi, seu Festi tituli Ecclesiæ. Deinde censuit die 19. Febr: 1622. non teneri Fideles interesse prædicto Officio, consequenter in foro Festum Annunciationis B. V. non esse celebrandum. Eadem decisio recenter innovata est die 11. Febr. 1690. ut Festum B. V. unà cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus in Ecclesia universali transferatur ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis Festis, quæ non sunt altioris ritus, ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani.*

II. *Altare hac die omni ornatu careat. In medio Crucem nigrò velò ità dispositam habeat, ut suo tempore detegi possit. Candelæ (si fieri possit) apponantur sex de cera communi seu flava. Gradus sint mundi, & nullò pannò tecti. In Altari extenditur iobalea munda, & in cornu Epistolæ collocatur pulvinum, reliquum ritum vide in Missali.*

III. *Dum Celebrans dicit Oremus. Diaconus genuflectit ante alios dicens: Flectamus genua. Subdiaconus ante alios surgens, dicit: Levate. Solus Celebrans stat immotus, cæteri omnes flectunt.*

IV. *Celebrans in adoratione Crucis non solum vocem, sed etiam Crucem tribus vicibus extollit.*

V. *Pro adoratione Crucis præparatur tapetum cum pulvino coloris violacei.*

VI. *Finitis Orationibus, ante Crucis denudationem, Officians deponit Casulam, exiit calceos, & prosequitur Cæremonias, prout Missale Romanum præscribit. Dum Officians denudatam Crucem, ad locum in Choro paratam portat, Chorus incipit: Improperia.*

VII. *In trina Crucis adoratione dicitur: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.*

VIII. *Ordo adorationis est, ut quilibet laicus, etiam Princeps, post Clerum adoret. Prælati verò, si adsint, post Celebrantem. Finitâ Crucis adoratione, Crux reverenter reportatur ad Altare.*

IX. *Quando Celebrans dictâ Oratione Libera nos. Hostiam elevat, non incensatur Hostia, nec Planeta elevatur.*

X. *Si contingat Parochum aut quemcunque alium oblitum fuisse, majorem Hostiam consecrare, minorem Hostiam, seu particulam accipiat, ut vult P. Gobat. Quòd si nec talis particula reperiat, necessariò Missa privata legenda erit ab ipso Parocho, vel alio Sacerdote, non tamen sumet purificationem, si Cæremonias & Officium hujus diei consuetum, peragere voluerit. Reliquas Cæremonias declarat Missale Romanum. Quibus peractis, defertur Venerabile ad Sepulchrum.*

XI. *Eâdem die non distribuitur Eucharistia aliis, quàm infirmis.*

PROCESSIONIS FORMA QUANDO VENERABILE DEFERTUR AD SEPULCHRUM.

Processio instituitur eò modo, quò Missale Romanum post Crucis adorationem instruit. Officians induit Pluviale, & Diaconus cum Subdiacono Dalmaticas nigri coloris. In Parochiis verò, ubi Pluviali carent, Celebrans supra Albam, Stulam nigri coloris accipit cum velo nigro vel albo, quò Venerabile tegitur, incensat, & defert sine benedictione ad Sepulchrum. Chorus in Processione canit: **Ecce quomodo moritur justus.** Dum pervenerit ad Sepulchrum, SS. Sacramentum reponit ad destinatum locum, & more consueto incensat, desuper dicit Orationem ex Matutino hujus diei **Respice quæsumus, &c.** His peractis, modicum ante Venerabile orat, & discedit. Desuper dicuntur *Vesperæ sine cantu, & denudatur Altare.*

OFFICIUM IN SABBATHO SANCTO. RITUS COMMUNIS & SOLENNIS.

I. **H**odie omnia Altaria sint solemniter ornata. Juxta Missalis rubricas benedicuntur ignis ante Ecclesiæ portam. Pro cuius benedictione præparanda sunt quinque incensigrana, quæ in pelvi argentea, aut stannea portat Acolythus; Cereus Paschalis, tres candelæ super arundinem colligatæ triangularem formam representantes; thuribulum sine prunis, quia ex novo igne assumendæ; Aqua benedicta &c. Missale, Crux Processionalis cum hasta, & duo Acolythi cum candelabris.

II. Horâ septimâ manè, crepitaculo convocatur populus. Dieâ nonâ, Sacerdos Pluviali, Ministri paramentis ordini com-

petentibus colore violaceo induti, processionaliter vadunt ad benedictionem ignis. Quò cum pervenerint, Subdiaconus sistit se cum Cruce à dextris Celebrantis, à latere assistit Diaconus, reliqui circumdant Celebrantem. Tunc Celebrans detecto capite, manibus junctis, dicit submissâ voce: Dominus vobiscum: ut in Missali Romano.

III. *Ordo figendi grana ad cereum, est talis: Primum in superiore parte, alterum in media, tertium in inferiori, quartum in dextra, quintum in sinistra Cerei parte.*

IV. *Peractâ benedictione, ordinatur Processio ad Ecclesiam secundum Missalis rubricam ibidem, & Diaconus canit Præconium Exultet jam Angelica turba, &c.*

V. *Orationes dicit Celebrans, ut in Missa extensis manibus. Dum Prophetias legit, Diaconus à dextris, Subdiaconus à sinistris ut in Introitu stabunt. Dum verò Orationes dicit, unus post alterum se collocabit.*

VI. *Persolutis Prophetiis sequitur benedictio fontis Baptismatis, dein Sacrum summum. Ad Gloria in Excelsis DEO pulsantur cymbala intrâ Ecclesiam, non autem majores campanæ in turri, si prius signum in Cathedrali seu Matrice Ecclesia non fuerit datum. Signo autem à Matrice dato, dabitur etiam signum in omnibus aliis Ecclesiis. Per Matricem intellige quoque Parochialem Ecclesiam in Diocesi; & si plures sint Parochiales in eodem loco, ea quæ major est dignitate, pro Matrice habetur.*

VII. *Ad Lavabo sub Offertorio dicitur Gloria Patri &c. Ministri dicunt cum Celebrante Psalmum Laudate. & Canticum Magnificat. In cornu Epistolæ. Incensatio fit more solito, & incensantur etiam reliqui.*

OFFICIUM IN NOCTE SA- CRATISSIMA PASCHATIS. RITUS COMMUNIS ET SOLENNIS.

I. **T**riplex pulsus pro functionibus hujus Sacræ Noctis datur. Primus horâ 6. Vespertinâ. Secundus mediâ septimâ ; compulsus, horâ septimâ.

II. Officians, unâ cum Ministris induitur paramentis Albis solenniorem prout in Vesperis cum Acolytis, præferuntur vexilla, duo candelabra accensis candelis, thuribulum & Baldachinum. Vadunt Processionaliter in silentio ad Sepulchrum, ibi Officians imponit incensum, & Venerabile genuflexus incensat. Interea Chorus cantat: Regina cœli. finitâ Antiphonâ, Diaconus, & Subdiaconus dicunt Versum: Gaude & latare &c. Chorus respondet: Quia surrexit &c. Officians dicit Orationem Deus qui resurrectionem, &c. Finitâ Oratione, incensat Venerabile, Diaconus ascendit, & ex Sepulchro fert Officianti ad manus Venerabile habenti circa collum velum album; dat simplicem benedictionem, & processionaliter intrâ Ecclesiam, sub Baldachino circumit. Dum ad locum pervenerit, ubi SS. Sacramentum asserwandum est, Diaconus accipit Venerabile ex manibus Officiantis, & collocat ad Altare, quod more consueto ab Officiante incensatur, surgit & dicit: Dominus vobiscum, &c. Desuper Collectam ex Missa Dominicæ Resurrectionis.

III. Finitâ Oratione, incensat Venerabile, & dat Benedictionem cum illo, nihil canendo. Diaconus reponit ad Tabernaculum, & recedunt omnes ad Sacristiam, exuunt paramenta, & disponunt se pro Matutino, quod eo ritu, & modô, sicut in Nativitate Domini, absolvitur.

IN DIE SANCTO PASCHATIS.

I. *Ad asperſionem canitur Reſponſorium.* Vidi Aquam prout in Miſſali Romano habetur.

II. *Hodie benedicuntur Eſculenta poſt ſummum Sacrum.*

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS.

✠. Adju torium noſtrum in nomine Domini. R. Qui fecit cœlum & terram. ✠. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus, ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum ſpiritu tuo.

Benedictio Agni & Carnium.

DEus qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi iuſſiſti: in ſimilitudinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & utroſque poſtes domûs de ſanguine hujus agni perungi præcepiſti: bene ✠ dicere & ſanctificare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus: per reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. R. Amen.

Benedictio Volucrum.

DEus univerſæ conditor naturæ, qui inter cæteras diverſarum creaturarum ſpecies, pro humani generis uſu, etiam volatilium genus ex Aqua producere dignatus es; de quibus Noë ex Archa egrediens holocauſtum tibi placitum obtulit. Et qui populo tuo ex Ægypto eduçto per Moysen ſervum tuum munda ab immundis ſegregans, ut de iis ederent, præceptum dediſti: te ſupplices rogamus, ut has mundarum avium carnes bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris, ut quicumque ex iis comederint, benedictionis tuæ abundantiam repleantur, & ad æterna vitæ pascua pervenire mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Benedictio Laridi.

BEne ✠dic Domine creaturam istam Laridi, ut sit remedium salutare generi humano: & præsta per invocationem tui sancti nominis, ut quicumque ex eo sumpserint corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Panis & Placentarum.

Domine Jesu Christe panis Angelorum, panis vivus, & æternæ vitæ bene ✠dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo dignè gustantes, inde corporis & animæ desiderabilem percipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Ovorum.

Subveniat nobis quæsumus Domine tuæ pietatis gratia, & hanc creaturam ovorum bene ✠dicere dignare, ut tuis fidelibus in gratiarum actione sumentibus, cibus efficiatur salutaris. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Casei & Butyri:

Dignare Domine Deus omnipotens bene ✠dicere, & sancti ✠ficare hanc creaturam casei & butyri, quam ex adipè animalium producere dignatus es, ut, quicumque ex populis tuis fidelibus de eis comederint, omni benedictione cœlesti & gratiâ tuâ saturati, repleantur in bonis. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Vini.

Domine Jesu Christe, qui in Cana Galileæ ex aqua vinum fecisti, quique es vitis vera, multiplica super nos misericordiam tuam, bene ✠dicere, atque sancti ✠ficare dignare hanc creaturam vini, quam ad necessitatem servorum tuorum

tribuisti : ut omnes qui ex ea sumpserint , benedictionis tuæ opulentiam repleantur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Cerevisiæ.

Bene✠ dic Domine creaturam istam Cerevisiæ : quam ex adipe frumenti producere dignatus es : ut sit remedium salutare humano generi : & præsta per invocationem nominis tui sancti : ut quicumque ex ea biberint , sanitatem corporis & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Am:

Benedictio generalis ad omnia.

Deus qui nobis per resurrectionem filii tui Domini nostri Jesu Christi æterna gaudia contulisti : auge & sancti✠ fica hæc dona tuæ largitatis gratiam nobis collata : & nostras pariter mentes spiritualibus reple deliciis. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Conclusio super omnia.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠ tris , & Fi✠ lii , & Spiritus✠ sancti , descendat super has creaturas benedictas , & maneat semper. *R.* Amen.



Post hæc aspergantur omnia Aquâ benedictâ.

ORDO SERVANDUS IN LITANIARUM MAJORUM PROCESSIONE, QUÆ DIE FESTO S. MARCI CELEBRATUR, ET DIEBUS ROGATIONUM.

Clerus , & populus , hora statutâ , manè in Ecclesia congregati , omnes contritò , & humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur. Sacerdos Pluviali cum ministris , vel saltem superpelliceò , & stolâ violacei coloris sit indutus (cujus colo-

loris habitu in reliquis Processionibus semper utatur præterquam in Processionibus Corporis Christi, & quæ fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem &c. quibus diebus utitur colore propriæ solemnitati congruenti) cæteri verò Sacerdotes & Clerici superpelliceis induti, sequentem Antiphonam stantes, concinant. Iis abeuntibus, Musici aut Chorus prosequatur.

Antiphona.

E 
 Xur ge Domine ad ju va nos, & libera nos propter

 no men tu um.

Psalmus.

D 
 Eus auribus nostris au di vimus: Patres nostri

 añuntia verunt no bis. Glo ri a.

Repetitur Antiphona. Exurge Domine, &c.

Deinde genuflectant omnes, & duo Clerici ante Altare majus genuflexi, devotè Litanias cantare incipiant, cæteris eadem voce respondentibus. Cùm autem cantatum erit.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Surgunt omnes, & ordinatim procedunt, egredientes, Litaniasque prosequentes, præcedente Cruce, & sequente Clero, ultimò locò Sacerdos paratus, ut supra dictum est, cum Ministris, prout res, vel locus postulat, Sacris vestibus indutus. De his plura vid: l. 3. in Reg: Processionum.

Si Processio sit longior, vel repetantur Litanie, vel Litanis absolutis, usque ad preces exclusivè, dicantur aliqui Psalmi ex Pœnitentialibus seu Gradual. Hymni verò, vel Cantica lætitiæ in iis, vel in Rogationibus aut aliis pœnitentiæ causâ institutis Processionibus non dicantur.

Si ad unam, vel plures Ecclesias in via sit divertendum, ingressis Ecclesiam, intermissisque Litanis, vel Psalmis, cantatur Antiphona cum versu & Oratione Sancti Patroni illius Ecclesiæ, Deinde egredientes, resumptis precibus, eodem ordine procedunt usque ad Ecclesiam propriam, ubi cum precibus, & Orationibus omnibus Processio terminatur, ut in fine Breviarii Romani post Psalmos Pœnitentiales.

In Litanis minoribus Rogationum servantur omnia, ut supra in Litanis majoribus.

Parochi, qui in Litanis majoribus & minoribus campos circumire, atque in iis stationes formare solent, preces pro necessitate ac opportunitate temporis ex 3. libro Agendæ de Penuria, Siccitate, Pluvia, Bello: &c. sumant. Vel Riturum absolvendi ac benedicendi Populos, Vineas, Agros &c.

Plures observationes circa has Processiones vid: lib: 3. in Regulis Processionum.

Crux ✠ Christi in adiutorium esse dignetur.

Crux ✠ Christi, quam semper adoramus, tu dignare nobiscum esse semper contra inimicos nostros. **Kyrie eleison.** **Christe eleison.** **Kyrie eleison.** **Pater noster.** ✠ Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo. ✠. Ego dixi Domine miserere mei. **R.** Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi. ✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit Cælum & terram. ✠. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat.

Psalms Miserere mei Deus *per totum.*

✠. Salvum fac populum tuum Domine & benedic hæreditati tuæ. **R.** Et rege eos & extolle illos usque in æternum. ✠. Dominus custodiat nos ab omni malo. **R.** Custodiat animas nostras Dominus. ✠. Exurge Domine adjuva nos. **R.** Et libera nos propter nomen tuum.

Sequitur Exorcismus.


IN nomine Domini nostri Jesu Christi: qui per virtutem magnam & brachium excelsum, te diabolus ligavit, & omnem mundum à te redemit: Et te impiissimum sathanam in profundum abyssi retrusit: ipse per virtutem suam & brachium excelsum omnes ministros tuos in confusione detinet. Per ipsum te adjuro, ut in loco isto & in ista Parochia, neque per aquam, neque per glaciem, neque per tempestatem validam, nocere valeas nec lædere. Vade retrò sathana, de hoc loco Dei, & ministrorum ejus, & à Sanctuario Dei, in nomine Domini Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. **R.** Amen.

✠ Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. ✠. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. **R.** Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ
eam

eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST:** & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Postea intonat Antiphonam atq; in Festo SS. Corporis Christi.



Domine Rex.

Cantores cantando prosequuntur, quâ absolutâ Officians canit sequentia:

V. Dominus dabit pluviam *vel* serenitatem. **R.** Et terra nostra dabit fructum suum. **V.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus in quo vivimus, movemur & sumus, pluviam *vel* serenitatem nobis tribue congruentem, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c. **R.** Am:

STATIO II.

Kyrie eleison. *Ut in statione I.*

EXORCISMUS.

ADjuro vos Angeli sathanæ, per Deum Cœli & terræ: per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos; per eum, qui inprimis Adam primum hominem creavit: per eum, qui Noë in diluvio servavit: per ipsum vos adjuro, qui Ananiam, Azariam, & Misabelem in camino ignis salvavit: per ipsum vos adjuro, qui per servum suum Moysen filios Israëli per mare rubrum eduxit: per ipsum vos adjuro, qui fidelem Eliam in curru igneo usque in Cœlum levavit: per ipsum vos adjuro, qui pretioso Sanguine suo omnem hominem à vestra potestate redemit: ut in isto loco, & in ista Parochia, nec in aliquo loco fidelium, neque per tempestatem validam, neque per ullam choruscationem, neque per aliam artem nocere possitis. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.


V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo. *V.* Initium sancti Evangelii secundum Lucam. *R.* Gloria tibi Domine.

Fuit in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de Filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis ejus, & justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotiò fungeretur in ordine vicis suæ Zacharias ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii: sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: Et omnis multitudo populi erat foris orans horâ incensi. Apparuit autem ei Angelus Domini stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias videns eum turbatus est, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Nè timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua: Et Elisabeth uxor tua pariet tibi Filium, & vocabitur nomen ejus Joannes:

nes:

nes: Et gaudium erit tibi & exultatio: Et multi in Nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: Vinum & syceram non bibet: & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ. Et multos Filiorum Israël convertet, ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet illum in spiritu & virtute Eliæ. Ut convertat corda Patrum in Filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

Postea intonat Antiphonam.



Con tere

Cantores prosequuntur.

✠. Imple facies eorum ignominia. *R.* Et quærent Nomen tuum Domine. ✠. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

O remus.

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum, respice propitius in auxilium Christianorum; ut gentes paganorum quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiâ conterantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c. *R.* Amen.

STATIO III.

K yrie eleison. *Ut in statione I.*


EXORCISMUS.

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis præcipio tibi sathana, ut non noceas in ista Parochia tempestate vel grandine. Signum Sanctæ ✠ Crucis Domini nostri Jesu Christi, tolle imbres nocivos; tolle grandines nocivos, & da limpidissimam aquam in qua Christus baptizatus est. Memento nostri Domine sicut jurasti Patribus nostris, Abraham,

ham, Isaac, & Jacob; ut non permittas iram tuam super vineas & agros nostros. Adjuro vos Angeli tartarei, quos DEUS ejecit de sede Majestatis suæ, qui fertis grandinem, & tempestatem. Adjuro vos per Virginem Mariam, Matrem Domini nostri JESU Christi. Adjuro vos per quatuor Evangelistas, per Apostolos, per Martyres, per Confessores, per Virgines, per omnes Sanctos & electos Dei: per tremendum judicium Dei: & per terribilem Deum Patrem Omnipotentem; ut infra terminum hujus Parochiæ sive Provinciæ: & Sancti **N.** Patroni nostri dilecti: non jactetis lapides nocivos, nec mittatis tempestatem vel grandinẽ, nec aliquam læsionem, in omnes agros nostros, seminatos, cultos, seu plantatos, nec in vineas nostras; sed feratis in diserta, & arida loca, ubi nec aratur, nec seminatur, nec nomen Dei invocatur: ut in die judicii dicere non possitis, quod vobis causa nocendi non sit inhibita. Ergo conjuro, & contradico vobis, per eum qui fecit Cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Agyos ✠ Otheos ✠ Athanatos ✠ miserere nobis.

Ps. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo. **Ps.** Initium sancti Evangelii secundum Marcum. **R.** Gloria tibi Domine.

Initium Evangelii JESU Christi Filii Dei: sicut scriptum est in Isaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolimitæ universi, & baptizabantur ab eo in Jordanis flumine: confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus: & locustas & mel silvestre edebat, & prædicabat dicens: Venit fortior post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ: ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.

Postea dicitur Antiphona.Da pacem Domine. *Cantores prosequuntur.*

✠. Fiat pax in virtute tua. *R.* Et abundantia in turribus tuis.
 ✠. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.
 ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum &c. *R.* Amen.

STATIO IV

Kyrie eleison. *Ut in statione I.*

EXORCISMUS.

Adjuro te Angele Sathanæ, qui positus es sub potestate Filii Dei: per illius te nomen adjuro, qui in principio fecit Cælum & terram, & firmavit omnia firmamento virtutis suæ, ut non permittas tempestatem infra terminum hunc. Adjuro te per IESUM Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto: Natus ex Maria Virgine. Qui super mare pedibus suis ambulavit: & vento flanti imperavit: & Lazarum mortuum & quadriduanum de monumento suscitavit: ut non permittas potestatem tempestatum infra hunc terminum. Sanctus ✠ Deus, Sanctus ✠ fortis, Sanctus ✠ & immortalis, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo. ✠. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. *R.* Gloria tibi Domine.


IN illo tempore: Ascendente JESU in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus. Et dixit eis: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.

EXORCISMUS.

ADjuro te tempestas per Patrem & Filium & Spiritum sanctum: per Omnipotentiam Patris: per Sapientiam Filii: per bonitatem Spiritus sancti, ut citò fugias & longè discedas à finibus nostris. Conjuro & adjuro te per sanctam Virginem Mariam Dei Genitricem. Conjuro te per sanctam crucem: in qua Dominus noster Jesus Christus pependit: Et per lanceam cum qua vulneratus est, per sanguinem qui de latere ejus fluxit: ut sicut separatur Cœlum à terra, justum ab injusto, dulce ab amaro, infernus à paradyso, sic sis remota à finibus nostris: in nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lii, & Spiritus **✠** Sancti, **Ry.** Amen.

Oratio.

O Remus. Domine JESU Christe, qui tranquillitatem in mari fecisti: & in Golgata locò pro nobis in cruce pependisti: dic Angelo percutienti gladiò, ut contineat manum suam super agros nostros, & super vineas nostras: & cesset ira tua, quam peccatis nostris meruimus. Salvator noster defende tuâ potentia fines nostros, agros, & fructus, de infestationibus dæmonum, ut ad maturitatem perveniant, & in horrea concludantur, ut peregrini & pauperes, & animæ fidelium indè reficiantur; & unà nobiscum benedicant, & laudent Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: qui est benedictus in sæcula sæculorum. **Ry.** Amen. Signo vos igitur nubes, in nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lii, & Spiritus **✠** sancti. **Ry.** Amen.

Postea dicitur Antiphona.

Quiescat ira tua.

Cantores prosequuntur.

Ps. Fiat misericordia tua Domine super nos. *R.* Quemadmodum speravimus in te. *Ps.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Pietate tua quæsumus Domine nostrorum solve vincula peccatorum, & intercedente Beata Maria semper Virgine cum omnibus Sanctis tuis, nos famulos tuos, Benefactores, atque loca nostra in omni sanctitate custodi, omnésque consanguinitate, affinitate, atque familiaritate nobis conjunctos à vitiis purga, virtutibus illustra; pacem & salutem nobis tribue; hostes visibiles atque invisibiles remove, carnalia desideria repelle; ærem salubrem, & fertilitatem indulge; amicis & inimicis nostris charitatem largire, atque Urbem *N.* Civitatem *N. vel* oppidum *aut* pagum *N.* cum omnibus in ea *vel* in eo habitantibus ab omni peste, infideliumque feritate & potentia illæsam *vel* illæsum conserva; ac omnibus fidelibus vivis & defunctis in terra viventium vitam & requiem æternam concede: & Pontificem nostrum *N.* Regem *vel* Reginam *N.* Antistitem *N.* omnésque Prælatos, & cunctum populum Christianum ab omni adversitate custodi; & Benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

In reditu ad Ecclesiam terminatur Processio Choro canente Agnus Dei, & in fine datur Benedictio.

DE PROCESSIONE TAM IN FES- TO SS. CORPORIS CHRISTI, QUAM ALIIS CUM SS. SACRAMENTO INSTITUENDIS PROCESSIONIBUS. REGULÆ GENERALES.

Cum frequenter Processiones cum Venerabili Sacramento instituantur, sicut in Festo Corporis Christi, 40. horarum precibus &c. merito quadam generales Regule hic annotantur pro debita veneratione ac reverentia tanti Sacramenti.

I. Decenter ornentur Ecclesie & parietes viarum, per quas est transeundum, tapetibus auleis, & sacris imaginibus, non autem profanis, aut vanis figuris, seu indignis ornamentis.

II. Sacerdos pridie duas Hostias consecret, & sumptâ unâ alteram in tabernaculo reservet pro futura Processione. Peractò Sacrificio Missæ, dum Processio instituenda est, advortat Celebrans, nè casulam supra Altare exuat, presente SS. Sacramento, sed supra abacum, seu mensulam in parte Epistola preparatam: Unde etiam Pluviale assumet.

III. Dum Altare accedit Celebrans, in infimo gradu, utroque genua flectit, & modicum orat; surgens, ascendit secundum gradum, thur imponit ad thuribulum, & SS. Sacramentum ter incensat, ante ac post, profundam capitis inclinationem faciens.

IV. Licet Diaconus presente SS. Sacramento absterneat ab orani osculo rerum & manuum Celebrantis, nihilominus Subdiaconus in fine Epistola, & Diaconus ante Evangelium more consueto osculantur manum Celebrantis.

V. Celebrans post incensationem manet flectens, & Diaconus SS. Sacramentum accipit, deferit ad manus Celebrantis, eumque velò albo tegit, Qui Monstrantiam taliter portat, ut imago Hostie populum respiciat. Surgit, Altare ascendit, & tacite simplici Cruce benedicit populum, ac vadit processionaliter cum suis Ministris. Idem fit apud omnes Stationes.

VI. Quotiescunque apud Stationem SS. Sacramentum deponitur, fit trina incensatio, similiter ante abitum cum profunda capitis inclinatione. Benedictio verò datur simplici Cruce.

VII. Acolyths in Processione thuribula deferentes, post sex circiter passus, vertunt se, ac profundam SS. Sacramento genuflexionem faciunt, & ter incensant; incensatione factâ, iteratò genuflexionem faciunt, & procedunt pendentibus & fumantibus thuribulis, ita tamen, nè terga vertant Sacramento.

VIII. *In fine Proceffionis, dum Celebrans ad fecundum gradum Altaris pervenerit, Diaconus ex manibus ejus SS. Sacramentum accipit, & ad Altare collocat, porrigit thuribulum Celebranti, qui tunc finè benedictione imponit, & modò fuprà infinuato incenfat, retento velò fuprà humeros. Ascendit poftèa finè Diaconi ministerio Altare, Monftrantiam manibus prendit, feque ad populum vertens, canit: Tantum ergo Sacramentum. Chorus confueto cantu profequitur hymnum. Ad illa verba: Sit & Benedictio. Populum fimplici Cruce benedicit. Iterum incenfat, & Diaconus cum Subdiacono canunt. Panem de cœlo præftitifti eis Alleluja. Chorus: R. Omne delectamentum in fe habentem Alleluja. Deinde Sacerdos ftans dicit. V. Dominus vobifcum. R. Et cum Spiritu tuo. O remus. Deus qui nobis fub Sacramento &c. In Proceffione 40. horarum folent addere Orationem de B. V. Deus refugium &c. vel pro Pace &c. juxta loci confuetudinem, ac temporis exigentiam.*

CÆREMONIÆ OBSERVANDÆ IN PROCESSIONE FESTI SS. CORPORIS CHRISTI.

Finitò Miſſæ Sacrificiò, Officians indutus pluviâli thurificat Venerabile Sacramentum, aſſumptòque in humeros velò accipit Monftrantiam, & vertens fe ad populum intonat:



Homo qui dam fecit.

Chorus profequitur, & Proceſſio in viam progreditur uſque ad primum Altare, quorum quatuor, in diſtinctis locis verſus quatuor mundi plagas erecta ſunt.

STATIO I.

Sacerdos depositò reverenter, & thurificatò Sacramentò manet genuflectens; interim canitur, ubi moris eſt, ad libitum aliquod mutetum, quò finitò Diaconus acceptâ benedictione, decantat.

Evangelium Primum.

✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo. ✠ *Ini-*
tium Sancti Evangelii secundum Matthæum. R. Gloria tibi
 Domine.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii
 Abraham. Abraham genuit Isaac: Isaac au-
 tem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam & Za-
 ram de Thamar: Phares autem genuit Efron: Ef-
 ron autem genuit Aram: Aram autem genuit Ami-
 nadab. Aminadab autem genuit Naason: Naason
 autem genuit Salmon: Salmon autem genuit
 Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex
 Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem ge-
 nuit David Regem. David autem Rex genuit
 Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon au-
 tem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abi-
 am: Abias autem genuit Afa: Afa autem genuit
 Josaphat. Josaphat autem genuit Joram: Jo-
 ram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit
 Joathan: Joathan autem genuit Achaz: Achaz
 autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit
 Manassen: Manasses autem genuit Amon: Amon
 autem genuit Josiam: Josias autem genuit Jecho-
 niam, & fratres ejus in transmigracione Babylonis.
 Et post transmigracionem Babylonis, Jechonias

genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Sacerdos osculatur librum sibi delatum dicens:

• Per Evangelica dicta, deleantur nostra delicta. *Quod observatur etiam post reliqua Evang. initia.*

Finito Evangelio incensatur Officians, qui mox flebit & intonat:



Domine Rex.

Cantores cantando prosequuntur, quò absolutò, Officians canit sequentia.

✠. Cibavit illos ex adipe frumenti Alleluja. **R.** Et de petra melle saturavit eos Alleluja. ✠. Dominus dabit pluvi-
am *vel* serenitatem. **R.** Et terra nostra dabit fructum suum. ✠.
Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te
veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS qui nobis sub Sacramento mirabili pas-
sionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæ-
sumus; ita nos Corporis & sanguinis tui sacra my-
ste-

steria venerari : ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

DEus in quo vivimus, movemur & sumus; pluviam *vel* serenitatem nobis tribue congruentem, ut præsentibus subsidiis sufficienter adju- ti, sempiterna fiducialius appetamus. Per Chri- stum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Finitis Collectis Officians ihurificat Venerabile Sacramen- tum, & acceptâ Monstrantiâ stans versùs populum intonat bis, dando in fine benedictionem.



O sa lu taris ho stia

Cantores prosequuntur.



Uni tri nóque Do mino.

Cantores prosequuntur, & proceditur ad secundum Altare.

STATIO II.

Cùm ad secundum Altare pervenerit Processio, servatis iis- dem Cæremoniis, uti supra in prima Statione canitur.

Evangelium Secundum.


✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo. *✠* Ini- tium sancti Evangelii secundum Marcum. *R.* Gloria tibi Do- mine.

INitium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta. Ecce ego mitto An-

An-

Angelum meum ante faciem tuam, qui præpara-
 bit viam tuam ante te: Vox clamantis in deſerto:
 parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.
 Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans
 baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccato-
 rum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ re-
 gio, & Jerofolymitæ univerſi, & baptizabantur
 ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata
 ſua. Et erat Joannes veſtitus pilis camelorum, &
 zona pellicea circa lumbos ejus: & locuſtas, &
 miel ſylveſtre edebat. Et prædicabat dicens: Ve-
 niet fortior poſt me, cujus non ſum dignus pro-
 cumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.
 Egobaptizavi vos Aquâ: Ille verò baptizabit vos
 Spiritu ſancto.

Finitò Evangelio, Officians genuflexus canit:



Con tere.

*Cantores proſequuntur, quò finitò
 Officians intonat ſequentia.*

✠. Panem de cœlo præſtitisti eis Alleluja. R. Omne de-
 lectamentum in ſe habentem Alleluja. ✠. Imple facies eorum
 ignomiâ. R. Et quærent nomen tuum Domine. ✠. Do-
 mine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te ve-
 niat. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEUS qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue quæsumus ; ità nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari , ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum : respice propitiùs in auxilium Christianorum ; ut gentes paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiâ conterantur. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Finitis Collectis, adhibitisque Cæremoniis ut supra, Officians intonat bis.



Tantum ergo Sacramentum.
Ge ni to ri Genitó que.

Cantores prosequuntur, & datâ benedictione proceditur ad tertium Altare.

STATIO III.

Apud Tertium Altare omnes Cæremoniæ, ut supra servantur, quibus peractis cantatur.

Evangelium Tertium.

ÿ. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo. **✠** Initium Sancti Evangelii secundum Lucam. **R.** Gloria tibi Domine.

Fuit

Fuit in diebus Herodis regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elifabeth. Erant autem jufti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juftificationibus Domini finè querela. Et non erat illis filius: eò, quòd effet Elifabeth ftertilis, & ambo processiffent in diebus fuis. Factum eft autem cùm Sacerdotiò fungeretur Zacharias in ordine vicis fuæ ante Deum, fècundùm confuetudinem Sacerdotii, forte exiit ut incenfum poneret, ingreffus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenfi. Apparuit autem illi Angelus Domini, ftans à dextris Altaris incenfi. Et Zacharias turbatus eft videns, & timor irruit fuper eum. Ait autem ad illum Angelus: nè timeas Zacharia: quoniam exaudita eft deprecatio tua: & uxor tua Elifabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinum & ficeram non bibet: & Spiritu fancto replebitur adhuc ex utero matris fuæ: & multos filiorum Ifraël convertet ad Dominum Deum ipforum. Et ipfe præcedet ante illum in fpiritu, & virtute Eliæ, ut

convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

Finito Evangelio, Officians genuflectens, intonat:



Da pacem Domine.

Cantores prosequuntur, quò finito Officians sequentia canit:

✠. Panem cœli dedit eis Alleluja. *R.* Panem Angelorum manducavit homo Alleluja. ✠. Fiat pax in virtute tua. *R.* Et abundantia in turribus tuis. ✠. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus; ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

DEus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ fornicine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Finitis Collectis, & thurificatò Venerabili Sacramento, Officians Illud accipit & stans versùs populum, intonat bis:



Ecce panis Ange lorum.
In Figuris præſi gnatum.

Deinde Officians intonat tertio.

*Cantores cantando
proſequuntur.*



Bone Paſtor panis vere.

*Chorus proſequitur, & factâ benedictione proceditur ad
quartum Altare.*

STATIO IV.

*Veniendo ad quartum Altare, ſervatisque iisdem Cæremo-
niis, ut ſuprà, cantatur*

Evangelium Quartum.

✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo. ✠. Ini-
tium Sancti Evangelii ſecundum Joannem. *R.* Gloria tibi
Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud
Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in
principio apud Deum. Omnia per ipſum facta
ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum
eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:
& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non com-
prehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui no-
men erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut
teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes cre-
derent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſti-

monium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. * **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

* Hic genuflectitur.

Finitò Evangelio, Officians genuflectens, intonat:



Quiescat i ra tu a.

Cantores prosequuntur, quò finitò Officians dicit:

✠. Educas panem de terra Alleluja. **R.** Et vinum lætificet cor hominis Alleluja. ✠. Fiat misericordia tua Domine super nos. **R.** Quemadmodum speravimus in te. ✠. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.


Oremus.

DEus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus;

mus; ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari: ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus.

Pietate tua, quæſumus Domine, noſtrorum ſolve vincula peccatorum, & intercedente B. Maria ſemper Virgine, cum omnibus Sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores, atque loca noſtra in omni ſanctitate cuſtodi; omnesque conſanguinitate, affinitate, atque familiaritate nobis conjunctos, à vitiis purga, virtutibus illuſtra; pacem & ſalutem nobis tribue; hoſtes viſibiles remove; carnalia deſideria repelle; aërem ſalubrem, & fertilitatem indulge; amicis, & inimicis noſtris charitatem largire; atque urbem Olomucenſem (*vel Civitatem N.*) cum omnibus in ea habitantibus, ab omni peſte, infideliumque feritate, & potentia illæſam conſerva; ac omnibus fidelibus vivis, & deſunctis, in terra viventium vitam, & requiem æternam concede: Et Pontificem noſtrum **N.** Regem **N.** Antiftitem **N.** omnesque Prælatos, & cunctum populum Chriſtianum ab omni adverſitate cuſtodi; & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. **R.** Amen.

Finitis Colleſtis, & thurificato Venerabili Sacramento, Officiarius in manibus Illud tenens, vertit ſe ad populum, & intonat:



O Sacrum Convivium.

Chorus profequitur :

quò finitò , Officians intonat.



Te Deum lau da mus.


*Cantores solemniter profequuntur , datâque benedictione , re-
diunt ad Ecclesiam.*

IN ECCLESIA.


*Veniendo ad Ecclesiam Officians in summo Altari vertens
se cum Venerabili ad populum , canit bis elevando vocem altius ,
Choro idem respondente :*

Salvum fac populum tuum Domi ne ,

Tertiò Officians adjungit , dando benedictionem.



Et benedic hæreditati tu æ , & rege e os :



& extolle illos usque in æternum.

Chorus profequitur.

Thurificatur Venerabile , & decenter observatur.

BE.

BENEDICTIO HERBARUM IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIE VIRGINIS.

Absolutâ aspersione, si Festum venerit in Dominica, alioquin immediate ante majorem Missam, Officians Pluviali solemni indutus, ante Altare, conversus ad populum tenentem herbas, vel fructus, incipit voce intelligibili:

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit Cœlum & terram.

Deinde dicat Psalm. 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè.

Preparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini, & vespere delectabis.

Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ira est præparatio ejus.

Rivos ejus inebrians multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Induri sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumentô: clamabunt etenim hymnum dicent.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

v. Dominus dabit benignitatem. *R.* Et terra nostra dabit fructum suum. *v.* Rigans montes de superioribus suis. *R.* De fructu operum tuorum.

rum satiabitur terra. **℣.** Producens fœnum iumentis. **℞.** Et herbam servituti hominum. **℣.** Ut educas panem de terra. **℞.** Et vinum latificet cor hominis. **℣.** Ut exhilaret faciem in oleo. **℞.** Et panis cor hominis confirmet. **℣.** Misit verbum suum & sanavit eos. **℞.** Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum. **℣.** Domine exaudi orationem meam. **℞.** Et clamor meus ad te veniat. **℣.** Dominus vobiscum. **℞.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlum, terram, mare, visibilia & invisibilia verbô tuô ex nihilo creâsti, quique herbas, arborésque ad usus hominum, animaliumque terram gignere, & unumquodque juxta sementem in semetipso fructum habere præcepisti: atque non solum, ut herba animantibus ad victum, sed ægris etiam corporibus prodesse ad medicamentum, tuâ ineffabili pietate concessisti: te supplici mente, & ore deprecamur, ut has diversi generis herbas, & fructus, tuâ clementiâ bene **✠**dicas, & supra naturalem à te inditam virtutem, eis benedictionis tuæ novæ gratiam infundas; ut ad usum hominibus, & iumentis in nomine tuo applicatæ, omnium morborum, & adversitatum efficiantur præsidium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **℞.** Amen.

Oremus.

DEus qui per Moysen famulum tuum mandâsti filiis Israël, ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferrent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius invocationibus nostris, & infunde tuæ bene **✠**dictionis abundantiam super nos, & super manipulos novarum frugum, novarum herbarum, & fructuum collectionem, quæ cum gratiarum actione tibi repræsentamus, & in nomine tuo in hac solemn-

mni-

mnitate benedi✠ cimus: & concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus, & jumentis contra morbos, pestes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia serpentum, & aliorum venenosorum animalium, & bestiarum morsus, nec non quæcunque venena, remedium præstent: atque contra diabolicas illusiones, & machinationes, & fraudes tutamen ferant: in quocunque loco positum vel portatum, aut habitum aliquid ex eis fuerit, quatenus cum manipulis bonorum operum meritis B. Mariæ Virginis, cujus Assumptionis Festum colimus, quò ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Oremus.

DEus, qui Virgam Jesse, Genitricem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, hodiernâ die ad cælorum fastigia ideò evexisti, ut per ejus suffragia, & patrocinia, fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati nostræ communicares: te supplices exoramus, ut ejusdem Filii tui virtute, ejusque Genitricis gloriosô patrociniô, istorum terræ fructuum præsiidiis, per temporalem ad æternam salutem disponamur. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Et benediçtio Dei omnipotentis Pa✠ tris, & Fi✠ lii, & Spiritûs✠ sancti, descendat super has creaturas, & maneat semper. *R.* Amen.

Postea herbae Aquâ benediçtâ aspergantur, & thurificentur.

BENEDICTIO SEMINUM, ET SEGETUM, IN FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS MARIÆ.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit cælum & terram. ✠. Domine exaudi Orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte Pater omnipotens sempiterne Deus, petimus, ac rogamus, ut hos fructus segetum, ac feminum tuis serenis oculis, hilarique vultu aspicere digneris: & sicut testatus es Moyse famulo tuo in terra Ægypti, dicens: dic filiis Israël, cum ingressi fuerint terram promissionis, quam eis dabo, ut primitias fructuum suorum offerant Sacerdotibus, & erunt benedicti; sic & nos rogamus te Domine, ut per auxilium misericordiæ tuæ emittas super hunc fructum segetum dexteræ bene ✠ dictionem, quem ad exhibendum proferre digneris, ut non subruat grando, nec aëris inundatio exterminet, sed semper incolumis permaneat, propter usum animarum, & corporum, & ad bene abundantem, & plenissimam maturitatem producere digneris. Qui in Trinitate perfecta vivis, & regnas in sæcula sæculorum. *℞.* Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cœlestis verbi seminator, & cultor, qui nostri cordis aream spiritualibus rastris exerceas: adesto propitius precibus nostris, & super agros, quibus si fuerint semina insita, tuam largam bene ✠ dictionem infunde, ac ab eis omnem vim procellarum gratiæ tuæ defensionis averte, ut omnis hic fructus, & tuâ bene ✠ dictione repleatur, & ad horrea sinè impedimento perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Aspergantur Aquâ benedictâ, & si fieri potest thurificentur.

DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM. DE- FUNCTORUM.

I. *S* *hæc Commemoratio occurrerit die Dominico, transfertur in diem Lunæ, ex decreto Urbani VI. si dies Lunæ similiter impeditus sit aliquò Festo de præcepto, tunc transfertur in diem subsequenterem.*

II.

II. *Pridie Commemorationis post Vesperas ordinarias, prepararetur Lectica mortuorum super pannum nigrum ante Altare, si commode fieri possit. Desuper ponatur Crucifixus & Calvaria cum ossibus mortuorum.*

III. *Officians cum Choro incipit Officium Defunctorum, & absolvit Vesperas cum Matutino juxta ritum expressum lib: 1. hujus Agenda. Quibus finitis, peragat Conductum ibidem prescriptum.*

IV. *Sequenti die in Commemoratione Fidelium Defunctorum circa horam consuetam convocatur populus solemnibus pulsibus. Celebrans cum Choro absolvit Laudes Defunctorum. Quibus persolutis, canit Sacrum Requianum (quod quilibet Sacerdos omnibus defunctis applicare tenetur.) Desuper facit sermonem ad populum. Quo finito, Conductum (uti supra insinuatum) repetit. Camiterium (ubi moris est) circumit, Cantores canunt Libera me Domine, & Celebrans aspergit sepulchra mortuorum.*

Redux ad Ecclesiam dicit:

V. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

V. Requiem æternam dona eis Domine. R. Et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace. R. Amen.


DE TONIS
IN SACRO-SANCTO MISSÆ
Officio secundum utum Romanum
observandis.
DE TONO ORATIONUM.

Toni Orationum duo sunt, unus festivus, alter ferialis: Quando Officium est duplex, dicuntur Orationes in tono festivo, alias in feriali.

DE TONO FESTIVO.

IN tono Festivo duæ fieri solent
Variationes: Prima est.

Et dicitur Punctum princi-
pale: Secunda est.



fa mi re fa.



fa mi.

Et dicitur semipunctum.

Punctum principale fit, concluso sensu primæ clausulæ vo-
cem retinendo Et aliquantulum respirando: semipunctum
fit eodem modo in sequenti clausula.

Et hoc intelligitur, quando Oratio est ita longa, ut possit re-
cipere duas variationes, sin autem erit brevior, tunc fiet tantum
punctum principale.

Præter hæc puncta, quoties occurrunt virgulæ, nota illa *fa*,
est parum sustentanda in penultima syllaba illius dictionis, quæ
virgularur, si tamen penultima syllaba erit longa, si autem bre-
vis fuerit, tunc *fa*, sustentari debet in antepenultima.


Quando ventum erit ad finem Orationis, nota illa *fa*, in pen-
ultima dictione, paulò amplius, quàm in virgulis sustentari
debet, perinde, ac si duæ essent vocales Et semiduplicatur etur vo-
calis, in qua prædicta nota sustentatur.

Conclusiones toni festivi quando fiunt
per Dominum Et per eundem Et c.;
semipunctum fit ad



tu um.

Et punctum principale
fit ad



San et DEUS.


Quando verò fiunt qui tecum & c. & qui vivis, fit tantum punctum principale ad sancti Deus, fa, mi, re, fa, fa, finis ut supra in oratione, ut habetur in sequenti exemplo:




Do mi nus vo bis cum. Ore mus, De us qui ho di




er nam di em A po sto lo rum tu o rum Pe tri &



Pau li Mar ty ri ô con se crâ sti : da Ec cle si æ tu æ




eo rum in om ni bus se qui præ cep tum, per quos Re



li gi o nis sump sit ex or di um; per Do mi num no strum




Je sum Chri stum Fi li um tu um: qui te cum vi vit &



reg nat in U ni ta te Spi ritûs san cti De us: per

om



omni a fæ cu la fæ cu lo rum.


DE TONO FERIA LI.

Oratio toni ferialis dicitur in voce æquali : in loco puncti principalis, & semipuncti, fit tantum pausa & respiratio; fiunt virgule & finales, ut in tono festivo.

Sic & conversiones in voce æquali dicuntur, ut in exemplo infra scripto videre est.



Do mi nus vo bis cum. Oremus, Præ sta quæ sumus




omnipotens Deus, ut qui beati Valentini Martyris



qui na ta li tia co li mus, Intercessione ejus in



tui nominis amore ro boremur. Per Dominum no-



strum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vi vit
& reg-



& regnat in Uni ta te Spi rit ūs fan cti Deus; per om-



ni a sæ cula sæ culorum.

Ante orationem quæ præcedit prophetiam cum cantatur in Missa; dicuntur sequentia, à Sacerdote, Diacono, & Subdiacono.

Sacerdos.

Diaconus.

Subdiaconus.




Ore mus. **F**le cta mus ge nua. **L**e va te.


Quando in duplici vel semiduplici plures dicuntur orationes, prima tantum dicitur in tono festivo, reliquæ vero in tono feriali.

TONUS EPISTOLÆ.


Dicitur in voce æquali, cum pausa & respiratione, excepto puncto interrogationis.



Le cti o li bri sa pientia. Dile ctus Deo & homini-




bus cujus memo ria in benedi ctione est & dedit



illi coram præcepta & legem vitæ & disciplinæ.

Si in Epistola, vel Evangelio, in loco puncti, occurrerit interrogatio, servatur Tonus solitus interrogationis, ut in sequentibus videre est.



cognoscit; erit nobis?


TONUS EVANGELII.



Dominus vobiscum. Sequentia sancti Evangelii se-



cundum Matthæum. In illo tempore, dixit Simon Petrus




ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & facti sumus



te, quid ergo erit nobis.

Et sic deinceps usque ad Conclusionem Evangelii, quæ sic facienda est.



& vitam æter nam possidebit.


Reliqua in sacro-sancto Missæ officio cantanda à Sacerdote in Gloria in Excelsis, Credo, Præfatio, Ite Missa est, Benedicamus Domino, &c. in Missali continentur.

TONUS PROPHETIÆ.


Tonus Prophetiæ convenit in omnibus, cum Tono Lectionis, præterquam in ultimo puncto, ubi non declinatur sicut in aliis, sed vox æqualiter cum aliqua mora, & impulsu continuatur, ut apparet in exemplo infra scripto, si verò erit monosyllabum, vel accentus acutus in fine alicujus dictionis servetur, quod de lectione dictum est, præterquam ad finem, quia semper terminantur, ut in exemplo inferiori.




Lectio libri Levitici. In diebus illis. Dixit Dominus



ad Moysem: loquere Filiis Israël, & dices ad eos.



Ambulabo in ter vos, & ero vester Deus, vosque eritis



populus meus, dicit Dominus omnipotens.

TONUS LECTIONUM.



Jube Domine benedicere. De Actibus Apo-



stolorum.



Petrus autem, & Joannes ascendebant in templum ad



horam orationis nonam, & quidam vir, qui erat




claudus ex utero matris suæ, ba ju labatur, quem




ponebant quoti die ad portam templi, quæ di ci-

tur



tur speci o fa , ut peteret ele emofynam ab intro-




euntibus in templum. Is cum vi diffet Petrum, &




Joannem inci pientes intro i re in templum, ro-



gabat ut eleemofynam acciperet. Intu ens



autem in eum Petrus cum Joanne dixit : respi ce



in nos, At il le intendebat in eos, sperans se



aliquid accepturum ab eis.

Et sic semper dicitur, & respondetur, quando ultimò locò est Monosyllaba, vel accentus acutus.


TONUS CAPITULI.



Misit Herodes Rex manus ut affligeret quosdam de Ec-



cle si a , oc ci dit autem Jacobum fratrem Joan-



nis gladi ô. Videns autem quia placeret Judæis ,




apposuit , ut apprehenderet & Petrum. Deo




gra ti as.

Quando ultima dictio Capituli erit Vox monosyllaba, sicut in Capitulo, Surge illuminare Hierusalem, in Epiphania Domini, aut habebit accentum acutum infine, sicut in Capitulo, Regi sæculorum, ad Primam, tunc Capitulum concluditur in sequenti Tono.



Super te orta est.



In sæcula sæculorum Amen.

• *Sed Deo gratias, in Tono solito.*

*Si occurrerit Interrogativum in medio, vel fine, servatur
Tonus in capitulo, qui supra in Lectione.*


Orationes canuntur ut supra insinuatum de Missis.

TONUS MATUTINI.

In Festo duplici & semiduplici.




Domine la bia mea aperies.



Deus in adjutorium meum intende.

*Post Hymnum & Psalmos Nocturni, Versum & Re-
sponsorium canit Cborus.*



Pater noster. *V.* Et nē nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos à malo.



Jube Domne benedicere.

Absolutio.



Exaudi Domine Jesu Christe preces fervorum tuorum &



miserere nobis, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis,



& regnas in sæcula sæculorum, *R.* Amen.

Tonum Lectionum vide supra fol: 334



Te Deum lau da mus.

IN.



INDEX SECUNDI LIBRI AGENDÆ OLOMUCENSIS. De Cæremonialibus.

In Adventu Domini.	De Rorate.	-	-	-	Pag: 253.
Ritus Communis.	-	-	-	-	254.
Ritus Solennis.	-	-	-	-	<i>ibidem.</i>
Benedictio domûs in vigilia Nativitatis Domini, ubi consuetudo est benedicendi domos.					<i>ibidem.</i>
In Nativitate Domini.	Ritus Communis.	-	-	-	255.
Ritus Solennis.	-	-	-	-	256.
In Festo sancti Stephani.	Benedictio Frugum, quæ ad pabulum animalium porriguntur.	-	-	-	<i>ibidem.</i>
In Festo S. Joannis Evangelistæ.	Benedictio vini.	-	-	-	260.
In Profesto Circumcisionis Domini.	Benedictio domûs.	-	-	-	262.
In vigilia Epiphaniæ Domini.	Benedictio domûs, Salis, & Aquæ.	Ritus Communis & Solennis.	-	-	263.
Benedictio Auri, Myrrhæ, Thuris, & Cretæ, in Festo Epiphaniæ Domini.	-	-	-	-	282
In Festo Purificationis B. V. MARIÆ.	-	-	-	-	284.
Ritus Communis.	-	-	-	-	<i>ibidem.</i>
Ritus Solennis.	-	-	-	-	285.
In die Cinerum.	Ritus Communis.	-	-	-	286.
Ritus Solennis.	-	-	-	-	<i>ibidem.</i>
Officium Dominicæ Palmarum.	Ritus Communis.	-	-	-	287.
Ritus Solennis.	-	-	-	-	288.
De Matutinis Majoris Hebdomadæ.	-	-	-	-	289.
Ritus Communis, & Solennis.	-	-	-	-	<i>ibidem.</i>
In die Cænæ Domini.	Ritus Communis & Solennis.	-	-	-	290.
De Officio Parasceves.	Ritus Communis & Solennis.	-	-	-	291.

Proceſſionis forma, quando Venerabile deferretur ad ſepulchrum.	293.
Officium in Sabbatho ſancto. Ritus Communis & Solennis.	<i>ibidem.</i>
Cæremoniæ in Nocte ſacratiffima Paſchatis.	295.
Ritus Communis, & Solennis.	<i>ibid:</i>
In die ſancto Paſchæ.	296.
Benedictio Agni Paſchalis.	<i>ibid:</i>
Benedictio Agni & Carnium.	<i>ibid:</i>
Benedictio Volucrum.	<i>ibid:</i>
Benedictio Laridi.	297.
Benedictio panis & placentarum.	<i>ibid:</i>
Benedictio Ovorum.	<i>ibid:</i>
Benedictio Caſei & Butyri.	<i>ibid:</i>
Benedictio Vini.	<i>ibid:</i>
Benedictio Cereviſiæ.	298.
Benedictio generalis ad omnia.	<i>ibid:</i>
Ordo ſervandus in Litaniarum majorum Proceſſione, quæ die Feſto S. Marci celebratur, & diebus Rogationum.	<i>ibid:</i>
Conjuraciones contra Tempeſtatẽ Aëris; Feſto S. Marci & diebus Rogationum olim dici ſolitæ; Deſumptæ ex antiquis Agen: Pawłowskiæ.	301.
De Proceſſione in Feſto SS. Corporis Chriſti.	310.
Regulæ Generales præſente SS. Sacramento.	<i>ibid:</i>
Cæremoniæ obſervandæ in Proceſſu Feſti SS. Corporis Chriſti.	311.
Benedictio Herbarum in Feſto Aſſumptionis B. M. V.	323.
Benedictio ſeminum, & ſegetum in Feſto Nativitatis B. M. V.	325.
De Commemoratione omnium Fidelium Deſunctorum.	326.
De tonis, in Sacro-Sancto Miſſæ officio ſecundùm uſum Romanum obſervandis.	327.
De tono Orationum.	<i>ibid:</i>
De tono Feſtivo.	328.
De tono Feriali.	330.
Tonus Epiſtolæ.	331.
Tonus Evangelii.	332.
Tonus Prophetiæ.	333.
Tonus Lectionum.	334.
Tonus Veſperarum.	336.
Tonus Verſiculorum.	337.
Tonus Capituli.	338.
Tonus Matutini.	339.

LIBER
TERTIUS
AGENDÆ
OLOMUCENSIS.

REGINÆ-HRADECII,

Reimpressum Typis Joannis Clementis Tibelli, Anno 1745.



DE
EXTRAORDINARIIS,
 CURATORIBUS ANIMARUM
 SCITU NECESSARIIS.
 PRIMO
 DE
BENEDICTIONIBUS.
 REGULÆ GENERALES.

I. Benedictiones, aliæ sunt Episcopales, aliæ sunt Sacerdotales. Quæ de jure ad Episcopos spectant, nullus simplex Sacerdos temerè aut imperiè, auctoritate propriâ usurpare præsumat.



II. In omni Benedictione extra Missam, Sacerdos sit superpellicidò & stolâ indutus. In benedictionibus regulariter adhibenda est stola alba; Quando verò Benedictioni exorcismus conjungitur, violaceâ stolâ utendum erit. Potest etiam adhiberi stola temporî conveniens.

III. Benedictiones per aguntur stando. Ubi ✠ annotatur, signum Crucis fit versùs rem benedicendam. In fine autem, dum aspergit aquâ benedictâ, ter aspergit, in medio, à dexteris, & sinistris. In hunc modum fit trina intensatio. Orationes dicuntur manibus junctis.

IV. Licet res benedicendæ ad Altare collocandæ sint, non tamen Esculenta, Candelæ, Palmæ, &c. bujuscmodi; hæc ponuntur extra Altare super mensulam in hunc finem paratam. Quomodo Candelæ in Purific: B. V. Cineres, Palmæ, Herbae, &c. benedicendæ sint, docet Liber secundus bujus Agendæ suis locis.

V. Benedictiones, quæ in Missali Romano comprehenduntur, hæc non annotantur, nè hoc opus in majus volumen excrescat.

VI. In principio cujusque Benedictionis dicitur. ✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum & terram. ✠. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. Deinde dicuntur Orationes suò locò annotatæ. His finitis, aspergit aquâ benedictâ eò modò, quò suprâ insinuatum est.

Ordo ad faciendam Aquam benedictam.

Die Dominica, in sacristia præparato sale & aquâ Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad hoc deputatus, albâ, vel superpelliciò indutus, cum stola circa collum, primò dicit. - ✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum & terram.

Deinde absolute incipit exorcismus salis.

EXorcizo te, creatura salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis: & effugiat, atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. R. Amen.

Oremus.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum

generis humani tribuisti, bene✠ dicere, & sanctificare tuâ pietate digneris: ut sit omnibus fumentibus salus mentis & corporis: & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Dominum nostrum Jesum &c.

Exorcismus Aquæ & dicitur absolute.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine✠ Dei Patris omnipotentis, & in nomine✠ Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute sancti✠ Spiritus: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potentiam inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.
R. Amen.

Oremus.

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene✠ dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum; ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ, latentes inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, asperzione hujus aquæ effugiat: ut salubritas per invocationem Sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Hic ter mittat sal in aquam, in modum Crucis, dicendo semel:

Commixtio salis & aquæ pariter fiat in nomine Pa✠ tris, & Fi✠ lii, & Spiritus✠ Sancti. R. Amen. ✠. Dominus vobiscum. R.
Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Oremus.

DEus, invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sævitiam superas: qui hostiles nequitas potenter expugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur, ac petimus: ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices: ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem Sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritûs abigatur: terrôrque venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritûs nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum &c.

Finitâ Benedictione, Sacerdos celebraturus, indutus pluviali coloris officio competentis, accedit ad Altare, & ibi cum ministris ad gradus genuflexus, accipit à Diacono aspersorium, & aspergit primò ter Altare, deinde se, & erectus ministros semel singulos, incipiens Antiphonam. Asperges me: Chorus prosequitur Domine, &c. ut infra. Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde populum, dicens Psalmum. Miserere. Gloria Patri.


Antiphona.

A sper ges me.

Domine, hyssopô, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *✠.* Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. *Et repetitur Antiphona. Asperges me.*

Si prædicta Ant: prædictio modò dicatur in aspersione aque benedictæ in Dominicis per totum annum: excepta Dominica de Pas-

Passione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur, Gloria Patri. Sed post Psalmum. Miserere, reperitur immediate Antiphona. Asperges me. Excepto etiam tempore Paschali, scilicet à Dominica Paschæ usque ad Pentec: inclusive; quo tempore cantatur sequens Antiphona.



Vi di a quam

Egredientem de Templo, à latere dextero, Alleluja: & omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, & dicent, Alleluja, Alleluja.

Psalm. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saculum misericordia eius. *✠.* Gloria Patri, &c.

Reperitur Antiphona. Vidi Aquam. Verùm in festo SS. Trinitatis resumitur, Asperges me Domine. Finitis Antiphonis, supra dictò modò, Sacerdos, qui aspergit aquam, reversus ad Altare, ante gradus altaris stans dicat. ✠. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Tempore Paschali additur Alleluja. R. Et salutare tuum da nobis. V. Domine exaudi Orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine Sancte Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Domorum.

Parochus, seu alii Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum benedicere, ingredienti domum dicant. Pax huic domui,

mui, & omnibus habitantibus in ea. *Deinde loca aspergendo dicant*
Antiphon: Asperges me Domine hyssopò, & mundabor: Et dicit An-
 tiphonam, ejusque Psalmum, Versus, Respon: Orationem, prout
 diebus dominicis dicuntur, & statim antea notavimus.

Deinde aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio Loci cujuscunque.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit cœ-
 lum & terram. ✠. Domine exaudi Orationem meam. *R.* Et clamor
 meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic ✠ Domine Deus omnipotens locum istum, vel do-
 mum istam, ut sit in eo, vel in ea sanitas, castitas, victoria,
 virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, &
 gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & hæc
 Benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in
 eo, nunc, & semper. *R.* Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio Domûs novæ.

✠. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. *R.* Qui fecit cœ-
 lum & terram. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro
 hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam bene-
 dicere ✠, sanctificare ✠, ac bonis omnibus ampliare digneris:
 tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pingue-
 dine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum
 tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene-
 dicere ✠, & sanctificare digneris hanc domum, sicut benedi-
 cere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob: & intrâ pa-
 rie-

rietes domûs istius Angeli tuæ lucis inhabitent, càmque, & ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum.
 R. Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio Thalami.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum & terram. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic ✠ Domine thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & in tua voluntate permanent, & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum, & ad regna cælorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Postea aspergatur Thalamus aquâ benedictâ.

Benedictio novæ Navis.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum & terram. ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & benedic ✠ navem istam dexterâ tuâ sanctâ, & omnes, qui in ea veniunt, sicut dignatus es benedicere arcam Noë, ambulantem in diluvio: porrige eis Domine dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare: & mitte Sanctum Angelum tuum de cælis, qui liberet, & custodiat eam semper à periculis universis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos repulsis adversitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis, transactisque ac rectè perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis & regnas, &c.

Aspergat navim istam aquâ benedictâ.

Benedictio communis super Fruges & Vineas.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cœ-
 lum & terram. ✠. Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et cla-
 mor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu
 tuo.

Oremus.

ORamus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias
 creaturæ tuæ, quas aëris, & pluviae temperamentô nutri-
 re dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas; & fructus
 terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque
 populo tuo de tuis muneribus semper gratias agere, ut à fertili-
 tate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, &
 egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum
 Dominum nostrum. **R.** Amen,

Aspergat illas Aquâ benedictâ.

Benedictio Candelarum in Festo Sancti Blasii Episc: & Martyris.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini, **R.** Qui fecit cœ-
 lum & terram. ✠. Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et cla-
 mor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu
 tuo.

Oremus.

OMnipotens & mitissime Deus, qui omnium mundi rerum
 diversitates, solô verbô creâsti, & ad hominum reforma-
 tionem, illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incar-
 nari voluisti: qui magnus es, & immensus, terribilis atque lau-
 dabilis, ac faciens mirabilia; pro cuius fidei confessione glorio-
 sus Martyr & Pontifex Blasius, diversorum tormentorum ge-
 nera non pavescens, martyrii palmam feliciter est adeptus, qui-
 que

que eidem inter cæteras gratias, hanc prærogativam contulisti, ut quoscunque gutturis morbos, tuâ virtute curaret: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut non inspectu reatûs nostri, sed ejus placatus meritis & precibus: hanc ceræ creaturam bene ✠ dicere, ac sanctificare ✠ tuâ venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla, per eum ex bona fide tacta fuerint, à quocunque gutturis morbo ipsius passionis meritis liberentur, & in Ecclesia Sancta tua, sani & hilares, tibi gratiarum referant actiones, laudentque Nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Aspergantur Aquâ benedictâ. Deinde Sacerdos terminatâ Missâ, depositâ casulâ, & manipulô, accensis duobus cereis, ac in modum Crucis aptatis, apponens illa sub mento gutturi cujusvis benedicendorum, ipsis ante Altare genuflectentibus dicat.

Per intercessionem S. Blasii Episcopi & Martyris, liberet te Deus à malo gutturis, & à quolibet alio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

Benedictio Panis & Vini, in Festo S. Blasii Episcopi & Martyris.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cælum & terram. ✠. Sit nomen Domini benedictum. **R.** Ex hoc nunc & usque in sæculum. ✠. Ora pro nobis sancte Blasii. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ✠. Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo,

Oremus.

Salvator mundi Deus, Domine Jesu Christe, qui hodiernam diem B. Blasii Martyriô consecrasti, & diversas creaturas ad Salutem hominum creasti, quique ex quinque panibus, &

duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in deserto miraculosè pavisti, ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, & petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devotè hodie ad sanctificandum attulit, tuâ pietate bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris, ut, qui ex eis gustaverint, vel comederint, ab omni gutturis plaga, & totius corporis infirmitate, meritis, & intercessione ejusdem B. Blasii Martyris tui, plenam recipiant sanitatem, & nos servos tuos ab omni corporis & animi ægritudine sanos conservet. Qui vivis & regnas, &c. **R.** Amen.

**Benedictio Panis & Aquæ, in Festo S. Agathæ,
contra periculum Ignis.
PSALMUS 66.**

DEUS misereatur nostri & benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi Populi Deus: confiteantur tibi Populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas Populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi Populi Deus, confiteantur tibi Populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant cum omnes fines terræ.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison. **P**ater noster, &c.

V. Et nē nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **V.**

Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** **Q**ui fecit cœlum & terram. **V.**

Sit nomen Domini benedictum. **R.** **E**x hoc nunc & usque in sæculum. **V.**

Ora pro nobis Beata Agatha. **R.** **U**t digni efficiamur promissionibus Christi.

V. Domine exaudi Orationem meam. **R.** **E**t clamor meus ad te veniat. **V.**

Dominus vobiscum. **R.** **E**t cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es Panis vivus, qui de Cœlo descendit, bene ✠ dic, & sancti ✠ fica hos panes,
& A-

& Aquam, in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris, ut ubicunque contra ignem comburentem missi vel positi fuerint, illicò ignis evanescat, & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, per intercessionem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ, descendat super has creaturas Panis & Aquæ, & maneat semper. *R.* Amen.

Benedictio Scapularis B. V. Mariæ.

Quibus à Superioribus Religiosis concessum est : accendatur Candela.

✠. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *R.* Et salutare tuum da nobis. ✠. Domine Deus virtutum converte nos. *R.* Ostende faciem tuam & salvi erimus. ✠. Domine exaudi Orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Suppliciter te Domine rogamus, ut super hunc habitum ser-vo tuo imponendum Bene ✠ dictio tua benigna descendat, ut sit benedictus, atque divinâ virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilibus, & invisibilium tela nequissima. *R.* Am:

Oremus.

Caput omnium fidelium Deus, & humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuæque Genitricis Virginis Mariæ de Monte Carmelo amorem, atque devotionem, servus tuus est delaturus, dexterâ tuâ sancti ✠ fica, & hoc, quod per illum mysticè datur intelligi, tuâ semper custodiâ corpore & animô servetur, & ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissimè perducatur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Oremus.

Creator, Conservator, & Salvator omnium, Largitor humanæ Salutis Deus, & Dator gratiæ spiritualis, benedictionem ✠ tuam super hunc habitum immitte; ut qui eum gestaverit, cœlesti virtute munitus, Fidem integram, Spem firmam, & Charitatem desideratam teneat, & à te nunquam separari permittas. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Aspergatur Aquâ benedictâ.

Benedictio Coronæ Rosarii B. V.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cœlum & terram. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui propter eximiam Charitatem tuam, quâ dilexisti nos, Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum de Cœlis in terram descendere, & de Beatissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, & tertiâ die gloriôsè à mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hæc signa Rosarii in honorem, & laudem, ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata: bene ✠ dicas, & sancti ✠ fices, eisque tantam Spiritûs Sancti infundas virtutem: ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter habuerit, & in eis secundum ejusdem sanctæ Societatis instituta, divina contemplando mysteria devotè oraverit, salubri & perseveranti devotione abundet, sitque confors, & particeps omnium gratiarum, privilegiorum, & indulgentiarum, quæ eidem Societati per Sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili, & invisibili, semper, ac ubique in hoc, & in futu-

turo sæculo liberetur, & in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per eundem Christum Dominum, &c.

Aspergatur Aquâ benedictâ.

Benedictio Chordarum S. Francisci, quibus à Superioribus Religionis concessum est.

Ps. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cælum & terram. **Ps.** Sit nomen Domini benedictum. **R.** Ex hoc nunc & usque in sæculum. **Ps.** Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **Ps.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS qui ut servum solveres, filium tuum funibus ligari voluisti, bene ✠ dic quæsumus Chordam istam, & præsta, ut famulus tuus, qui eâ velut ligamine pœnitentiali cingetur; vinculorum ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi perpetuò memor existat, & in Confraternitate, in quam assumitur, salubriter perseverans, tuis cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per Dominum nostrum, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiternæ Deus, qui peccatoribus veniam, & misericordiam quærentibus, tuæ propitiationis indulgentiam tribuis: Oramus immensam Clementiam tuam, ut hanc Chordam bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris, ut qui eâ pro peccatis suis cinctus fuerit, & immensam pietatem tuam imploraverit, veniam, & indulgentiam tuam sanctæ misericordiæ consequatur. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Am:

Cingendo Confratrem dicat:

PRæcingat te Dominus cingulò puritatis, & Confraternitatis nostræ, & extinguat in lumbis tuis humorem libidinis;

ut maneat in te virtus continentiae, & castitatis. Per Christum Dominum, &c. Pax tecum.

Benedictio Infirmorum.

Intrando Domum dicat: Pax huic Domui, & omnibus habitantibus in ea.

✠. Adjutorium nostrum in nomine, &c. ✠. Domine exaudi, &c. ✠. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

INtroeat, quæsumus Domine Jesu Christe domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, Charitas fructuosa, sanitas sempiterna, effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia; magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum, bene ✠dic conversationi nostræ, sanctifica humilitatis ingressum, qui Sanctus & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Psalmus: De profundis clamavi, &c.

Deinde ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo. ✠Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. *R.* Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Surgens Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea; & stans super illam imperavit febrim, & dimisit illam, & continuo surgens, ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum. At ille singulis manus imponens curabat eos.

R. Laus tibi Christe. *Quò dictò subditur.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

✠. Et nò nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

- V.** Misere hujus Domine, quoniam infirmus *vel* infirma est.
R. Sana eum *vel* eam Domine, quoniam conturbata sunt ossa ejus.
V. Salvum fac servum tuum *vel* ancillam tuam Domine.
R. Deus meus sperantem in te.
V. Ego dixi, Domine misere ejus.
R. Sana animam ejus, quia peccavit tibi.
V. Domine exaudi Orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Respice Domine famulum tuum, *vel* famulam tuam, fratrem *vel* sororem nostram, in infirmitate sui corporis laborantem; & animam refove, quam creasti, ut castigationibus emendata, continuò se sentiat tuâ medicinâ salvatam. Per Christum, &c. **R.** Amen.

Postea imponat manum super caput infirmi, dicens:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. ✠ Jesus Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, meritis B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, sit tibi clemens, & propitius. **R.** Amen.

Dominus Jesus Christus apud te ✠ sit, ut te defendat, intrâ te ✠ sit, ut te conservet, antequam ✠ sit, ut te ducat, post te ✠ sit, ut te custodiat, super te ✠ sit, ut te benedicat, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spi ✠ ritus ✠ Sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.

Si autem plures infirmi essent, ponatur in plurali, & aspergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Peregrinorum in loca sancta prodeuntium.

Juxta Rituale Romanum.

P*eregrini, ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, deberent accipere Patentes, seu commendatitias Literas à suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, & rebus suis dispositis, factâ peccatorum suorum confessione, & auditâ Missâ, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, Sanctissimam Eucharistiam devotè suscipiunt. Expletâ Missâ, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces.*

Antiphona. In viam pacis. **Benedictus Dominus Deus Israël, &c. ut infra. in fine:** Gloria Patri. *Repetitur Antiphona.* In viam pacis & prosperitatis dirigat vos omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphaël comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertatis ad propria. **Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.** **Ps.** Et nè nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **Ps.** Salvos fac servos tuos. **R.** Deus meus sperantes in te. **Ps.** Mitte eis Domine auxilium de sancto. **R.** Et de Sion tuere eos. **Ps.** Esto eis Domine turris fortitudinis. **R.** A facie inimici. **Ps.** Nihil proficiat inimicus in eis. **R.** Et Filius iniquitatis non apponat nocere eis. **Ps.** Benedictus Dominus die quotidie. **R.** Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. **Ps.** Vias tuas Domine demonstra nobis. **R.** Et semitas tuas edoce nos. **Ps.** Utinam dirigantur viæ nostræ. **R.** Ad custodiendas justificationes tuas. **Ps.** Erunt prava in directâ. **R.** Et aspersa in vias planas. **Ps.** Angelis suis Deus mandavit de te. **R.** Ut custodiant te in omnibus viis tuis. **Ps.** Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **Ps.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo,

Oremus.

DEus, qui filios Israël per maris medium sicco vestigiô ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue eis quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo sancto comite, ad eum, quò pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum feliciter valeant pervenire.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut hos famulos tuos custodire digneris. Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quò tendunt, prosperè, perveniant, & demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates, tuô semper protegantur auxiliô,

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, & Beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

EXaudi Domine preces nostras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus à cunctis adversitatibus tuâ opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Pax, & Benedictio ✠ Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper, Amen.

Deinde aspergantur Aquâ benedictâ.

Quòd si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari, ac, si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

Benedictio Peregrinorum post reditum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit cœlum & terram.

Antiphona. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

PSALMUS 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israël.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. ℣.
Et nē nos inducas in tentationem. *℞.* Sed libera nos à malo. *℣.* Benedicti qui veniunt in nomine Domini. *℞.* Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. *℣.* Respice Domine in servos tuos, & in opera tua. *℞.* Et dirige eos in viam mandatorum tuorum. *℣.* Domine exaudi Orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat. *℣.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Largire, quæsumus Domine, famulis tuis indulgentiam placatus, & pacem ut pariter ab omnibus mudentur offensis, & securâ tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitæque dispositor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire subsidium, ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tuâ facias protectione securos.

DEus, humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum nobis sentiamus adventum. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde aspergantur Aquâ benedictâ à Sacerdote dicente :

Pax, & Benedictio ✠ Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper, Amen.

Nonnunquam sponsi præsertim nobiles vestimenta, quibus in nuptiis usuri sunt, benedici petunt, quorum laudabili desiderio ut satisfieri queat, apposita est sequens.

Benedictio Vestimentorum, vel Indumentorum Lecti, vel similibus, mutatis mutandis.

EXorcizo vos creaturæ diversæ indumentorum, per eum, qui vos paravit ad ornamentum generis humani, ut sitis indumenta benedicta ✠, pura ✠, & munda ✠ ab omni virtute diaboli, & ministrorum ejus, & ab omnibus factoris & maleficiis, cujuscunque generis sint: ut vires diaboli retinere non possitis, sed sitis indumenta pura ✠, bene ✠ dicta, & sancti ✠ ficata: quæsumus Domine, ut hæc indumenta purificare ✠, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris, nam ego Sacerdos tuus hæc indumenta in tuo nomine, bene ✠ dico, purifico ✠, & sancti ✠ fico: concede Domine, ut, qui ea portaverit, & induerit, cœlestis gratiæ, & benedictionis plenitudinem valeat accipere; ut ab omnibus dæmonibus, & factoris sit liber, & defensus. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Postea aspergantur Aquâ benedictâ.

Benedictio Candelarum extra diem Purificationis Beatæ Virginis Mariæ.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ✠. Qui fecit cœlum & terram. ✠. Dominus vobiscum. ✠. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, bene ✠ dic candelas istas supplicationibus nostris, infunde eis Domine per virtutem sanctæ Crucis benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talémque benedictionem signaculô sanctæ Crucis accipiant, ut quibuscunque locis accensæ, sive positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pavidum cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis: nec præsumant amplius inquietare aut molestare, servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Postmodum aspergantur Aquâ benedictâ.

BENEDICTIONES EPISCOPALES, QUÆ DELEGARI SOLENT.

Notandum: Inter Benedictiones Episcopales quæ delegari solent, comprehenditur Benedictionem Indumentorum Sacerdotalium, Mapparum sive Linteaminum Altaris; Tabernaculi, seu Vasculi pro Sacro-Sancta Eucharistia conservanda, &c. Quas hęc idem præterimus, quod in Missali Romano reperiantur, ac in promptu haberi possint.

Ritus Benedicendi & imponendi novum Lapidem pro Ecclesia ædificanda, servandus à Sacerdote facultatem ab Episcopo habente. *Rit: Rom:*

Ecclēsiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta Sacrorum Canonum Decreta, ædificari fas est. Si verò Sacerdos ejus ædificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem per agat, hunc ritum servabit.

Pri.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti verò die, lapis in Ecclesie fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, & angularis, benedicatur hõc modò:

Sacerdos indutus amictu, Albâ, Cingulò, Stolâ, & Pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis, salem & aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria Benedictione, ut supra fol: 344. Et interim dum cantatur à Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est, Aquâ benedictâ.

Antiphona.

Signum salutis pone Domine Jesu Christe, in loco isto, & non permittas introire Angelum percutientem.

PSALMUS 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videtur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi Orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in Domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Finitò Psalmò Sacerdos versus ad locum per eum aspersum dicit:

Oremus.

Domine Deus, qui licet cœlo & terrâ non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi Nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & **B. N.** (*nominando Sanctum, vel Sanctam, in cuius honorem, ac nomen fundatur Ecclesia*) omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva, & qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris; effugiantque omnes hinc nequitia spiritalia. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, **R.** Amen.

Postea stans benedicit primum lapidem, dicens :

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cœlum & terram. **V.** Sit nomen Domini benedictum. **R.** Ex hoc nunc & usque in sæculum. **V.** Lapidem quem reprobaverunt ædificantes. **R.** Hic factus est in caput anguli. **V.** Tu es Petrus. **R.** Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. **V.** Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. **R.** Sicut erat in principio & nunc & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor & imago æterni Patris, & vita æterna, qui es lapis angularis sine manibus abscissus, & immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma, & tu, qui es principium & finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quæsumus, principium, & incrementum, & consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem,

dem, & gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.

R. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum Aquâ benedictâ, & accepto cultrô, per singulas partes sculpsit in eo signum Crucis, dicens: In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. R. Amen.

Oremus.

Benedic ✠ Domine creaturam istam lapidis, & præsta per invocationem sancti tui nominis, ut quicumque ad hanc Ecclesiam ædificandam purâ mente auxilium dederint, corporis sanitatem, & animæ medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Postea dicantur Litanie ordinariæ sine Orationibus in fine positis, quibus dictis, paratô cæmentô, & cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus Antiphonam, Manè surgens Jacob erigebat lapidem in titulum: fundens oleum desuper, votum vovit Domino: Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam.

PSALMUS 126.

Nisi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: frustrâ vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat, &c.

Quô dictô, Sacerdos stans tangit, & ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens: In fide Jesu Christi, collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento, In Nomine Patris ✠ &

Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti, ut vigeat vera fides hic, & timor Dei, fraternaque dilectio, & sit hic locus destinatus Orationi, & ad invocandum, & laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Interim Cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento, postea Sacerdos spargit super lapidem Aquam benedictam, dicens:
Asperges me Domine hyssopô, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealabor.

PSALMUS 50.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopô, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiã: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Nè projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum nè auferas à me.

Redde mihi lætitiã salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiã tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ , oblationes , & holocausta : tunc imponent super Altare tuum vitulos.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto. Sicut erat , &c.

Quò dictò , Sacerdos spargit Aquam benedictam per omnia fundamenta , si sunt aperta. Si verò non sunt aperta , circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere , inchoat Antiphonam , Clero prosequente. O quam metuendus est locus iste , verè non est hic aliud , nisi domus Dei , & porta cœli.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te : Civitas Dei.

Memor ero Rahab , & Babylonis : scientium me.

Ecce alienigenæ , & Tyrus , & populus Æthiopum : hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet homo , & homo natus est in ea : & ipse fundavit eam Altissimus ?

Dominus narrabit in Scripturis populorum , & principum : horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium : habitatio est in te.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto. Sicut erat , &c.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste , verè non est hic aliud , nisi domus Dei , & porta cœli.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta , seu designata , & repetitâ Antiphonâ , stans , dicit : Oremus. Ministri : Flectamus genua. R. Levate.

OMnipotens & misericors Deus , qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti , ut quidquid in tuo nomine dignè , perfectèque ab eis agitur , à te fieri credatur , quæsumus immensam clementiam tuam , ut , quidquid modò visitaturi sumus , visites : & quidquid benedicturi sumus , bene **✠** dicas , sitque ad nostræ humilitatis introitum , Sanctorum tuo-

rum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

DEUS, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum majestati tuæ condidit habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia, ut, quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.

S*Acerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea Divinum Sacrificium Missæ ritè celebretur, Stola, ac Pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus, & Clericis adhibitis, prælatâ Cruce mediâ inter duos Clericos deferentes Cereos accensos, manè procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii Januam, ubi stans capite aperto, conversus ad eam, dicit absolute Orationem.*

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando profequere: ut cuncta nostra Oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde inchoat Antiphonam Asperges me Domine, &c & Clerus alternatim dicit Psalmum Miserere mei Deus, in fine Gloria Patri. Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua, & nuda, & pariter Altaria nuda, exclusò populò, donec absoluta sit benedictio) & Sacerdos acceptò aspergillò ex herba hyssopo, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superioriparte, & in fundamentis, cum Aqua benedicta aspergit, dicens: Asperges me Domine hyssopò, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Reversi ad locum, unde processio initium habuit, repetitâ Antiphonâ à Clero, Sacerdos stans, ut prius versus Ecclesiam dicit : Oremus. & Ministri: Flectamus genua. R. Levate.

Oremus.

Domine Deus, qui licet cœlô & terrâ non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris; ubi nomen tuum jugiter invocetur, locum hunc, quæsumus, Beatæ semper Virginis, & **B. N.** omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva, & qui dilecti tui David devotionem filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiântque omnes hinc nequitia spirituales. Per Dominum nostrum, &c.

Quâ finita Oratione omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes.

Ubi dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit: Ut hanc Ecclesiam, & Altare ad honorem tuum & nomen Sancti tui N. purgare, & benedicere ✠ digneris, Te rogamus audi nos. Cum dicit benedicere, manu dexterâ benedicit Ecclesiam, & Altare, deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litanie, & Cantores prosequuntur:

Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos. Fili Dei, Te rogamus audi nos. Agnus Dei, &c.

Dicto ultimò Kyrie eleison, Sacerdos stans dicit:

Oremus. *Ministri.* Flectamus genua. R. Levate.

Præveniat nos quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Tunc distans ab Altari congruenti spatio genuflexus, & se
signans, dicit: Deus in adiutorium meum intende. & statim surgit
Clero respondente: Domine ad adjuvandum me Festina. Ipse verò
stans, dicit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.*

Chorus respondet: Sicut erat in principio, &c.

*Postea Sacerdos dicit: Oremus. Ministri: Flectamus genua.
R. Levate.*

ORATIO.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut, quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modò visitaturi sumus, visites: & quidquid benedicturi sumus, benedicas, ✠ sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, &c.

His dictis, inchoat Antiphonam: Benedic Domine domum istam, nomini tuo ædificatam. Cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet:

Psalmus 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi: & exaudivit me.
A Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.
Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum, & terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.
Ec-

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem Sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: **S**icut erat, &c.

Psalmus 121.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio: sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: quæ sivi bona tibi.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. **S**icut erat, &c.

Antiphona. Benedic Domine domum istam nomini tuo ædificatam.

Interim aspergit interiùs parietes in parte superiori, & inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, arcens: Asperges me Domine, &c. tum ad Altare reversus, dicit: Oremus. Ministri Flectamus genua. **R.** Levate.

Deus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus auxilium tuæ misericordiæ sentiat. Per Dominum nostrum, &c.

His per actis, dicitur Missa de tempore occurrente, vel de Sancto.

Ecclesia verò quamvis à simplice Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

Ritus Reconciliandi Ecclesiam violatam, si non erat ab Episcopo consecrata.

E*cclesie violatae reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo: Altare Ecclesie omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit liberè circumiri, tam exterius, quam interius, si fieri potest, paretur vasculum, cum Aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum. Sacerdos indutus amictu, albâ, cingulò, stola, & pluviali albò, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, procedit ad primariam Ecclesie portam, ubi stans, Antiphonam incipit, dicens: Clero proficiente. Asperges me Domine hyssopò, & mandabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Psalmus Misere mei Deus, totus cum Gloria Patri.

Quò finitò, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona & Psalmus dicuntur, Sacerdos cum Aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cœmeterium simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesie, ad terram Cœmeterii, præsertim ad loca contaminata. Quò factò, redit ad locum, ubi incipit aspergere, & stans dicit:

Oremus.

O*mnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut, quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, ut, quod modò visitaturi sumus, visites: & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Deinde Sacerdos incipit Litantias, & ingreditur Ecclesiam cum Clero cantando eas: acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit, cumque dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus Defunctis requiem æternam donare digneris.

R. Te rogamus audi nos.

Sacerdos surgit, & clarâ voce dicit: Ut hanc Ecclesiam, Altare hoc, & Cœmeterium purgare, ✠ & reconciliare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, rursus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare dicit:

Oremus. & Ministri. Flectamus genua. R. Levate.

PRæveniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & signò Crucis muniens, clarâ voce dicit: Deus in adiutorium meum intende. Tum surgit, & Chorus, seu stantes Clerici respondent: Domine ad adjuvandum me festina. & Sacerdos stans dicit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. R. Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

Quò dictò, Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam: Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus; & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Psalms.

IN Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israël. *repetitur Antiphona.*
Ibi Benjamin adolescentulus: in mentis excessu. *repetitur Antiphona.*

Principes Juda, duces eorum: principes Zabulon, Principes Nephthali. *repetitur Antiphona.*

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *repetitur Antiphona.*

A Templo sancto tuo in Jerusalem: tibi offerunt reges munera. *repetitur Antiphona.*

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento. *repetitur Antiphona.*

Disſipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

repetitur Antiphona.

Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.

repetitur Antiphona

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli: ad Orientem.

repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſraël: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

repetitur Antiphona.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſraël, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.

Et non dicitur Gloria Patri. Sed Antiphona repetitur.

Interim dum Antiphona, & Pſalmus prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Eccleſiam intrinſecus aſpergendo, aſpergit etiam ſpecialiter loca contaminata, quò factò, ſtans in preſbyterio verſus ad Altare, dicit:

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus purificator aſſiſtis, exaudi nos, quæſumus, & concede, ut imposterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio, & tui muneris beneficia, univerſitas fidelium, quæ ſuplicat, percipere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

R. Amen.

Deinde dicitur Miſſa de die occurrente.

Simplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt Eccleſiam ab Epifcopo conſecratam reconciliare. Et tunc utatur Ritu in Pontificali præſcripto. Procedâtque indutus amictu, albâ, cingulò, ſtolâ, & pluviâ albi coloris, adhibitis ſecum aliis Preſbyteris, & Clericis ſuperpelliceis indutis, cum Aqua ab Epifcopo ad hunc uſum ritè benedicta.

Ritus benedicendi novum Cœmeterium, per Sacerdotem ab Epifcopo delegatum.

Rituale Romanorum.

PRidie quam fiat Benedictio, ponitur in medio Cœmeterio benedicendo lignea Crux, alta ad ſtaturam hominis, & an-

te ipsam Crucem, in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die mane, Sacerdos in Sacristia paratus amictu, albâ, cingulô, stolâ, & pluviâ albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, indutis superpelliceis, qui deferant vasculum Aquæ benedictæ, aspergillum & thuribulum cum incensi navicula, & hoc Rituali Libro, & tribus candelis cereis, procedit ad Cæmeterium benedicendum ante Crucem in medio positam, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem, & candelas stans discòperto capite, dicit:

Oremus.

OMnipotens Deus, qui es custos animarum, & tutela salutis, fides credentium, respice propitius ad nostræ servitutis officium, & introitum nostrum, purgetur, ✠ benedicatur, ✠ & sanctificetur ✠ hoc Cæmeterium, ut humana corpora hîc post vitæ cursum quiescentia, in magna iudicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris respondentibus, & cum dictum fuerit: Ut omnibus Fidelibus defunctis vitam æternam donare digneris. Te rogamus audi nos.

Sacerdos surgit, & clarâ voce dicit producens manu signum Crucis. Ut hoc Cæmeterium purgare, & benedicere ✠ digneris. Te rogamus audi nos.

Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, & Litanie perficiuntur.

*Quibus finitis surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit Aquâ benedictâ, dicens Antiphonam: Asperges me Domine hyssopô, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealabor. **Psalmus***

Miserere mei Deus, &c. *dicitur totus ab astantibus cum Gloria Patri. ut supra. Quò dictò repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, & perambulat totum Cæmeterium, incipiens ad ejus dextram, aspergens ubique Aquâ benedictâ; quò factò redit ante Crucem, & ad ipsam respiciens, dicit:*

Oremus.

DEus, qui es totius orbis conditor, & humani generis redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium & invisibilium perfectus dispositor; te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc Cæmeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent, post curricula hujus vitæ labentia, purgare, ✠ benedicere, ✠ & sanctificare ✠ digneris: Quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc Cæmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter ardentem in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens Aquâ, redit cum ministris in sacristiam.

**Ordo reconciliandi Cæmeterium violatum, si-
ve Ecclesiæ contiguum sit, si-ve separatum, ubi Eccle-
sia non est polluta.**

M*anè diei, quâ faciendâ est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, & Clericis indutis superpelliceis in sacristia, aut alio decenti loco, vestitus amictu, albâ, cingulò, stola, & pluviâ albi coloris, accedit ad medium Cæmeterii, Clerico vasculum Aquæ benedictæ, & aspergillum deferente, & ibi super tapete genufle-*
ctit,

Ant, una cum ministris, & Cantores aliique omnes genibus flexis, dicunt Litanias, in quibus, cum dictum fuerit. Ut omnibus Fidelibus defunctis vitam æternam donare digneris. Te rogamus audi nos.

Sacerdos surgit, & manu dexterâ producens signum Crucis super Cœmeterium, clara voce dicit: Ut hoc Cœmeterium reconciliare ✠ & sanctificare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos accepto aspergillô, cum Aqua benedicta, inchoat Antiphonam: Asperges me Domine hyssopô: Clero prosequente, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Psalm: Miserere mei Deus, &c. dicitur totus sine Gloria Patri. In fine repetitur Antiphona: Asperges me Domine hyssopô, &c.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dextram, aspergens ubique Aquâ benedictâ, præsertim in loco, ubi violatio commissæ est. Quò peractô, redit ad locum, ubi Litanie dictæ fuerunt, & ibi stans, dicit:

Oremus.

Et ministri, Flectamus genua. R. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretiô sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti: quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus Mysterii tui. Tu es enim Domine figulus noster, tu quietis nostræ ager, tu agri hujus pretium. Tu dedisti etiam & suscepisti. Tu de pretio tui vivifici sanguinis nos requiescere donâsti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectatissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justissimæ severitatis abscondens post miserationem tuæ piæ redemptionis, adesto exauditor, & effector nostræ reconciliationis: hocque Cœmeterium peregrinorum tuorum cœlestis patriæ incolatum expectantium, benignus purifica

fica, & reconcilia; & hinc tumulorum, & tumulandorum corpora, de potentia & pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita. Qui venturus es judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

De Benedictione Armorum.

Pontifex benedicturus arma, quæ aliquis ministrorum coram eo tenet, aut supra Altare, vel aliquam mensam ponuntur, stans sine Mitra, dicit:

V. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. *R.* Qui fecit cælum & terram. *V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super hæc arma, & super induentem ea, quibus ad tuendam justitiam induatur. Rogamus te Domine Deus, ut illum protegas, & defendas, qui vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Oremus.

Deus Omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almificæ pietate benedicere digneris; & concede famulo tuo **N.** eadem gestare cupienti, ut ad munimen ac defensionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, pupillarum, & viduarum, contra invisibilem & visibilem hostium impugnationem, ipsis liberè, & victoriosè utatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

De Benedictione Ensis.

Pontifex enses benedicere volens, illo cui tradendus est, coram eo genuflectente, quem unus ex ministris coram eo tenet, stans sine Mitra dicit:

V. Ad.

✠. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. **R.** Qui fecit cœ-
lum & terram. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene ✠ dicere digneris, quæsumus Domine, ensẽm istum;
& hunc famulum tuum, qui eum, te inspirante, suscipere
desiderat, pietatis tuæ custodiã munias, & illæsum custodias.
Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

*Deinde aspergat ensẽm Aquã benedictã. Tum sedens, accep-
tã Mitrã, tradit eum illi, cui tradendus est, genibus flexis coram
eo permanenti, dicens:*

Accipe ensẽm istum. In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, &
Spiritus ✠ Sancti, & utaris eõ ad defensionem tuam, ac
Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum Crucis
Christi, ac Fidei Christianæ; & quantum humana fragilitas per-
miserit, cum eo neminem injustè lædas; quod ipse tibi præsta-
re dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat
Deus, in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

De Benedictione & traditione Vexilli Bellici.

Pontifex Vexillum Bellicum, quod unus ex ministris coram eo
tenet, benedicere volens, sians sinè Mitra dicit:

✠. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. **R.** Qui fecit cœ-
lum & terram. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio,
& triumphantium fortitudo; respice propitius ad preces
humilitatis nostræ, & hoc Vexillum, quod bellico usui præpa-
ratum est, cælesti bene ✠ dictione sanctifica; ut contra adver-
sarias & rebelles nationes sit validum, tuoque munimine cir-
cumseptum, sitque inimicis Christiani populi terribile, atque

in te confidentibus solidamentum, & certa fiducia victoriæ. Tu enim es Deus, qui conteris bella, & cœlestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per unicum Filium tuum, Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Deinde aspergit vexillum Aquâ benedictâ, tum sedens acceptâ Mitrâ, genuflexo coram eo illo, cui vexillum tradendum est, consignat ei ipsum vexillum, dicens:

Accipe Vexillum cœlesti benedictione sanctificatum, sitque inimicis populi Christiani terribile; & det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius Nomen, & Honorem, cum illo hostium cuneos potenter penetres incolumis & securus.

Deinde dat ei osculum Pacis, dicens: Pax tibi.

Qui accepto vexillô, osculatur manus Pontificis, surgit, & discedit.

De Benedictione Novæ Crucis.

Nova Crux, seu tabula, in qua Crucifixus est depictus, hoc modo benedicitur: paratis thure, thuribuloque cum igne, Aquâ benedictâ, Pontifex paratus suprâ rochetum, amictu, stolâ, pluviâ rubri coloris, & Mitrâ simplici, stans, sine Mitrâ, dicit:

✠. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. *R.* Qui fecit cœlum & terram. *V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

O remus.

Benedic, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate diaboli, & superasti Passione tuâ suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Rogamus te Domine Sancte, Pater omnipotens, sempiternus Deus: ut digneris benedicere ✠ hoc lignum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano: sit soliditas fidei; profectus bonorum operum; redemptio animarum; sit solamen & protectio ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde dicit voce mediocri, extensis manibus ante pectus, Prefationem.

R. Per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda. **R.** Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum & justum est.


Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, cujus sanctum ac terribile Nomen inter cæteras visibiles creaturas, ligna quoque fructifera laudare, ac benedicere non cessant: Qui in figuram unigenitæ Sapientiæ tuæ, ligno vitæ à principio Paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructus sacro mysterio Protoparentes nostri generis mortem cavere, & vitam admoneres obtinere perpetuam; quique nos vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coaternæ tibi Sapientiæ Dei, & Domini nostri Jesu Christi innoxiam mortem ad vitam misericorditer revocare dignatus es: Te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli, quod pretioso Filii tui sanguine triumphasti, fidelium tuorum devotione compactum erectumque est cælesti tuæ bene ✠ dictione sanctificare digneris; ut omnibus

hic genua flectentibus, ac tuæ Majestati supplicantibus largior & cordis compunctio, & admissorum indulgentia concedatur; atque intercedente ipsâ victoriosissimâ unigeniti Filii tui Passione, & tibi placita postulare, & citius valeant postulata percipere. Da quæsumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur, & sumus, ut, quoties triumphum Divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuemur, quotiesque mente recolimus, & contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, & majorem tibi devotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ Majestatis examine, cum paventibus elementis, cælorumque commotis virtutibus, signum istud glorificum Redemptionis nostræ apparuerit in cælo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur.

Quod sequitur, dicitur submissâ voce, legendo, itâ tamen, quod à circumstantibus audiri possit.

Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Oremus.

DEus, qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat scelestis ad pœnam, convertisti redemptis ad vitam; concede plebi tuæ ejus vallari præsidio, cujus est armata vexillô. Sit ei Crux Fidei fundamentum, Spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen; sit ei in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultura; ut per eam Pastor in futuro gregem conservet incolumem, quæ nobis, Agno  vincente, conversa est in salutem. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Alia Oratio. Oremus.

Sanctifica ✠ Domine Jesu Christe, signaculum istud Passio-
nistuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum : & credentibus in
te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum Deo Pa-
tre vivis, & regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia
sæcula sæculorum. *R.* Amen.

*Tum offertur Pontifici thus in navicula, aut alio vase, quod
Pontifex stans sine Mitra, benedicit, dicens :*

Oremus.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum
cum tremore, quorum servitium spirituale, & igneum
esse cognoscitur, dignare respicere, bene ✠ dicere, & sancti-
✠ ficare hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnes-
que infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes,
effugiant, & separentur à plasmate tuo; ut nunquam lædatur à
morsu antiqui serpentis, quod pretioso Filii tui sanguine rede-
misti. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

*Quò factò, Pontifex imponit thus in thuribulum. Deinde
aspergit Crucem Aquâ benedictâ, & mox eam incensat. Tum
dicit adhuc stans sine Mitra.*

Sanctificetur lignum istud, in Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, &
Spiritus ✠ Sancti: & benedictio illius ligni, in quo membra
sancta Salvatoris suspenfa sunt, sit in isto ligno; ut orantes, incli-
nantésque se propter Deum ante istam Crucem, inveniant cor-
poris & animæ sanitatem. Per eundem Dominum nostrum Je-
sum Christum. *R.* Amen.

*Tum Pontifex flexis ante Crucem genibus, ipsam devotè ado-
rat, & osculatur. Idem faciunt quicumque alii voluerint. Si
verò Crux est ex metallo, vellapide, locò præcedentis Orationis,
videlicet: Sanctificetur, &c.*

Pontifex stans sinè Mitra, dicit sequentem Orationem.

Deus gloriæ, Deus excelsæ Sabaoth, fortissime Emmanuel, Deus Pater veritatis, Pater sapientiæ, Pater beatitudinis, Pater illuminationis, ac vigilationis nostræ, qui mundum regis, qui cuncta Regna disponis, qui es bonorum Collator munerum, & bonorum omnium Attributor; cui omnes gentes, populi, tribus & linguæ serviunt; cui assistit omnis Angelorum Legio; qui largiris famulis tuis fidem, & laudem tui Nominis, ut debita tibi oblata persolvant; cui prius fides offerentium complacet: deinde sacrificatur oblatio, quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, ut sancti ✠ fices tibi hoc signum Crucis, & conse ✠ cres, quod totâ mentis devotione famulorum tuorum religiosa fides construxit, trophæum scilicet victoriæ tuæ ac redemptionis nostræ, quod in amorem Christi triumphalis gloria consecravit. Aspice hoc signum Crucis insuperabile, per quod diaboli exinanita est potestas, mortalium restituta libertas: quæ licet fuerit aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honorem per gratiam; & quæ reos quondam puniebat supplicio, nunc & noxios absolvit à debito. Et tibi quid per hoc placere potuit, nisi id, per quod tibi placuit nos redimere? Et nullum tibi debitum amplius munus est, quàm puod tibi nunc corporis dedicavit affixio; nec tibi est magis familiaris oblatio, quàm quæ familiari manuum tuarum extensione sacrata est. Illis ergo manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es; & de sanctitate illius hanc sancti ✠ fica; & sicuti per illam mundus expiatus est à reatu, itâ offerentium famulorum tuorum animæ devotissimæ hujus Crucis meritô, omni careant perpetrato peccato; & tuæ veræ Crucis obtectu, enitescant successibus assiduis triumphatores. Radiet hîc unigeniti Filii tui Domini nostri splendor Divinitatis in auro; emicet gloria ejus in ligno; in Cruce rutillet nostræ mortis re-



tenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie, devotèque precandum invinent.

IV. Laici à Clericis, fœminæ à viris separatæ orantes, prosequuntur.

V. Præferatur Crux, & ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris Imaginibus insignitum: non tamen factum militari, seu triangulari formâ.

VI. Edendi, ac bibendi abusum, secumve esculenta, & poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis tollere Parochi studeant: ac fideles, præsertim die Dominicâ, quæ proximè Rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela sæpius admoneant.

VII. Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario vel Clero videatur.

VIII. Processiones autem quædam sunt Ordinariæ, quæ sunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis, & in Dominica Palmarum, & in Litanis majoribus, in festo Sancti Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, & in die festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum. Quædam sunt extraordinariæ, ut quæ variis, ac publicis Ecclesiæ de causis indies indicunt.

IX. In omnibus Processionibus, ordinariè adhibetur pluviale, & stola super albam, vel rochetum. Si stolam solam vel cum pluviali super albam induit, & jure Pontificali careat, stolam in modum Crucis ante pectus flectit sicut in Missa. Si solo superpelliceo aut rochetto utatur, solutam stolam de collo pendentem habebit.

X. In omnibus Processionibus præfertur Crux inter duos ce-

riferarios, candelabra accensa tenentes, ita, ut Imago terga vertat Clero sequenti, quasi præire videatur.

XI. *Ordo Processionis solennis est talis: Primò sunt confraternitates laicorum. Secundò, Religiosi juxta ordinem antiquitatis. Tertio, Nobiliores & Magistratus (quod defactò non observatur.) Quarto Clerus, præcedit minister portans Crucem medius inter duos Acolythos deferentes candelabra cum candelis accensis. Quintò, Clerici Seminarii & musici. Sextò, Curati Ecclesiarum Parochialium cum cottis; tum Ecclesiæ Collegiatae cum eorum Insignibus, si quæ deferre solent. Tandem Canonici Cathedralis Ecclesiæ & c. quos Episcopus, vel Officians cum ministris suis sequitur. Ubi dignitatum & personarum distinctio non reperitur, ibi præmittitur vexillum vel Crux, subsequuntur confraternitates, deinde schola cum cantoribus, hos ministri cum Officiante, tandem populus bono ordine dispositus.*

XII. *Si Clerici, aut alii, candelas, palmas, & c. deferant, qui à dextris procedunt, dexterâ manu eas portabunt, & alteram manum pectori applicabunt; qui verò à sinistris incedunt, sinistrâ manu candelas & c. deferent, alteram manum pectori admovebunt. Per angustiore locum transeundo, junior præcedit, subsequitur senior. Si procedentium numerus impar fuerit, ultimi duo ad medium recipiunt seniore, qui etiam solus, maximè si Prælatus fuerit, post omnes incedere poterit.*

XIII. *Extra Ecclesiam omnes caput tegunt biretò, & non pileò, nisi SS. Sacramentum, aut Reliquiæ insignes deferantur. Cantores dum soli cantant semper sint nudo capite.*

XIV. *Quando Processio ante vel post Missam fit, Diaconus & Subdiaconus Dalmaticis suis induti, Sacerdotem comitantur, fimbrias pluvialis elevantes, nisi Subdiaconus Crucem præferat; tunc enim Diaconus à sinistris celebrantis incedit, sinè elevatione fimbriarum.*

XV. Sub Processione solenni pulsantur omnes campanæ. Si Processio divertat in aliqua Ecclesia, illius loci Clerus superpelliceis (vel si fuerint Regulares) habitu sui ordinis usque ad januam obviam procedent. Cantores januam Ecclesiæ ingredientes, à cantu desistunt, interim campanarum, & organorum sonò excipiuntur. Ubi celebrans ante Altare pervenerit, cantores inchoant Antiphonam sancti Titularis illius Ecclesiæ, deinde subdunt versum, & celebrans dicit Orationem.

XVI. Quando Litanie cum Processionibus celebrantur, uti tempore Jubilæi, seu Indulgentiarum, vel pro qualibet Ecclesiæ necessitate, sicut in Litanis majoribus, & minoribus diebus Rogationum, adhibendus erit color violaceus. In Processionibus verò SS. Sacramenti, 40. Horarum, Gratiarum actione, Translatione SS. Corporum & Reliquiarum, adhibetur alius color, nisi Martyris translatio facienda sit, tunc ruber color erit. Similiter in Processione, quæ fit ad implorandam gratiam Sancti Spiritus, in qua dicitur Missa de Spiritu Sancto, & ruber sit color.

XVII. Notandum, quòd his subsequentibus Processionibus correspondeant Missæ votivæ in emendato Missali Romano retiò positæ.

De Processione tempore Jubilæi.

Quotiescunque Jubilæum indicitur, servanda erunt subsequencia:

I. Tenor Bullæ accuratè perspiciendus erit, & omnes conditiones observandæ, pro lucrando Jubilæo.

II. Die Dominico, aut festivo præcedente hebdomadam Jubilæi à Concionatoribus publicabitur, & explicabitur, quomodo gratiam fideles consequi possint.

III. Processiones celebrentur eodem ordine, ut Lib: 2. de Litanis majoribus dictum est, in paramentis violaceis.

IV. In principio Processionis cantabitur Antiphona: **Exaudi Domine, &c.** prout in Litanis majoribus. Deinde canuntur Litanie majores, & processionaliter visitantur Ecclesie designatae. Possunt etiam in iis Ecclesiis Sanctissimum Sacramentum tempore Processionis exponere, pro majori devotione excitanda, ut fit in Processionibus 40. horarum.

V. Licet Jubilæum Apostolicâ Auctoritate per plures hebdomadas prorogetur, in prima tantum hebdomada, videlicet feriâ quartâ, sextâ, & Sabbatho, Processiones faciendae sunt. Ubi verò in oppidis & pagis defectu populi fieri nequeunt, instituuntur diebus Dominicis, ac Festivis.

De XL. Horarum Precibus, quæ Cæremoniæ quoque IX. VII. Horarum Precibus accommodari possunt.

I. In hac sacra Actione solennis apparatus in omnibus exhibeatur.

II. Ex ambona hæc devotio populo intimetur, ut copiose confluat.

III. Nè quandoque Ecclesia vacua sit conficiatur catalogus & consignatio confraternitatum platearum, ac certarum personarum, cum assignatione certæ horæ, quam devotis precibus coram SS. Sacramento transigent. Quotiescunque hora finita fuerit, signum campanæ dabitur in campanili, ut alii succedant, & tintinabulo in Ecclesia, ut innotescat orantibus horam finitam esse.

IV. Pridie horâ vespertinâ post signum salutationis Angelicæ, ter solenniter pulsentur campanæ. Ipso die, illucescente aurorâ, eodem modò juxtâ Clementis VIII. institutionem, pulsentur omnes campanæ, quod etiam servandum erit quotidie durante in ea Ecclesia oratione.

V. Missa etiamsi sit duplex, vel Dominicus dies, erit de

SS. Sacramento in paramentis albis. Diebus verò Festis & privilegiatis, in Collegiatis dicuntur duæ Missæ: una de tempore occurrente post Tertiam, altera de SS. Sacramento ante Processionem, in qua dicitur una tantum Oratio cum Gloria & Credo. Si verò dies sit ex majoribus privilegiatis, Missa erit de tempore cum commemoratione de SS. Sacramento, in paramentis & colore tempori congruentibus. In Missa coram SS. Sacramento, uti & in Processione, observantur omnia, quæ in Festo Corporis Christi insinuata sunt.

De Processione & Translatione Sacrarum Reliquiarum insignium.

Rituale Romanum.

Ecclēsia, & viæ per quas transeundum est, quàm fieri potest, decentiùs ornentur. Sacerdotes, & ministri vestibus induti albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, exposcunt, & cum luminaribus accensis omnes procedant, decantantes *Litanias* cum invocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur, & *Hymnum: Te Deum*, &c. & *Psalmum, Laudate Dominum de Cælis*, cum duobus sequentibus, & alios *Psalmos*, & *Hymnos de Proprio*, vel de Comuni eorum Sanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

De Processione ad petendam pluviam.

Rituale Romanum.

Aguntur omnia, ut supra in Litanis majoribus, usque ad finem Litaniarum, in quarum precibus bis dicitur: Ut congruentem pluviam fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus audi nos.

In fine postea dicitur: Pater noster, &c. secretò.

✠. Et ne nos inducas in tentationem. ✠. Sed libera nos à malo.

Psalmus 146.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

Aedificans Jerusalem Dominus : dispersiones Israël congregabit.

Qui sanat contritos corde : & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum : & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, & magna virtus est : & sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus : humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Domino in confessione : psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cælum nubibus : & parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum : & herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum : & pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit : nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum : & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Quò finito dicantur preces. **Ÿ.** Operi Domine cælum nubibus. **R.** Et para terræ pluviam. **Ÿ.** Ut producat in montibus fœnum. **R.** Et herbam servituti hominum. **Ÿ.** Riga montes de superioribus tuis. **R.** Et de fructu operum tuorum satiabitur terra. **Ÿ.**

Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut præsentibus auxiliis sufficienter aduti, sempiterna fiducialius appetamus.

Oremus.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra, de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur.

Ore-

Oremus.

DA nobis quæſumus Domine, Pluviam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentis cœleſtibus dignanter infunde. Per Dominum noſtrum.

Ÿ. Dominus vobiscum. R. Et cum ſpiritu tuo. Ÿ. Benedicamus Domino. R. Deo gratias. Ÿ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus. R. Amen. Ÿ. Fidelium animæ per miſericordiam Dei, requieſcant in pace. R. Amen.

Proceſſio ad poſtulandam ſerenitatem.

Omnia fiunt ut ſuprà in Litanis majoribus, & in Litaniarum precibus dicatur: Ut fidelibus tuis aëris ſerenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos.

Ad finem obſecrationum dicitur: Pater noſter, &c. Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

Pſalm. 66. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, &c. qui poſitus eſt ſuprà in Offic: Defunct: ad Laudes, dicitur cum Gloria Patri.

Ÿ. Adduxiſti Domine Spiritum tuum ſuper terram. R. Et prohibeæ ſunt pluvie de cœlo. Ÿ. Cum obduxero nubibus cœlum. R. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei. Ÿ. Illuſtra faciem tuam Domine ſuper ſervos tuos. R. Et benedic ſperantes in te. Ÿ. Domine exaudi Orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. Ÿ. Dominus vobiscum. R. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui ſupplicantis propitiuſ respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Oratio.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, ut qui juſtè pro peccatis noſtris

stris affligimur, misericordia tua præveniente clementiam sentiamus.

Oratio.

QUæsumus omnipotens Deus, clementiam tuam, ut inundantiam coërceas imbrium & hilaritatem vultus tui nobis impertire digneris. Per Dominum nostrum, &c.

Preces ad repellendam tempestatem.

Pulsantur campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam convocatis, dicuntur Litanie ordinariæ, in quibus bis dicitur: A fulgure & tempestate, & post Litanias Orationemque Dominicam.

Psalmus 147.

LAUDA Jerusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit feras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiavit te.

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit cristallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias, & judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri & Filio, &c.

Ps. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cælum & terram. **Ps.** Ostende nobis Domine misericordiam tuam. **R.**

Et salutare tuum da nobis. **Ps.** Adjuva nos Deus salutaris noster.

R. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos. **Ps.** Nihil proficiat inimicus in nobis. **R.** E filius iniquitatis non apponat nocere nobis. **Ps.** Fiat misericordia tua Domine super nos. **R.** Quemad-

modum speravimus in te. **Ps.** Salvum fac populum tuum Domine.

R. Et benedic hereditati tuæ. **Ps.** Non privabis bonis eos, qui am-

bulant in innocentia. *R.* Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te. *Ÿ.* Domine exaudi Orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ÿ.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui culpâ offenderis, penitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Oratio.

A Domo tua, quæ sumus Domine, spirituales nequitia repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Oratio.

O Mnipotens sempiternæ Deus parce metuentibus, & propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium; & vim procellarum, in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

Oratio.

D Omine Jesu, qui imperâsti ventis, & mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, ut hoc signo sanctæ Crucis ✝ omnis discedat sæ vitia tempestatum.

Oratio.

O Mnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conservas: præsta supplicibus tuis: ut & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & donô tuæ pietatis semper utamur. Per Dominum nostrum.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Preces dicendæ tempore penuriæ & famis.

Aguntur omnia, ut supra in Litaniis majoribus usque ad finem Litaniarum, in quarum precibus bis dicitur: Ut fructus terræ dare, & conservare digneris. Post Litanias dicitur, Pater noster, &c.

Plalmus 22.

Dominus regit me, &c. *qui habetur in libro primo, secundo, Nocturno Officii Defuncti:*

Ps. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. *R.* Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Ps.* Oculi omnium in te sperant Domine. *Ps.* Et tu das illis escam in tempore opportuno. *Ps.* Memento congregationis tuæ. *R.* Quam possedisti ab initio. *Ps.* Dominus dabit benignitatem. *R.* Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* Domine exaudi Orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Ineffabilem nobis Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & famem propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

Oratio.

POpulum tibi subditum pro peccatis suis fame laborantem ad te Domine converte propitius, qui quærentibus regnum tuum omnia adjicienda esse dixisti. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Processio tempore mortalitatis & pestis.

Fiat ut supra in Litaniis majoribus, & in Litaniarum precibus dicatur bis. A peste, & fame, Libera nos Domine, & infra suò locò, Ut à pestilentia flagello nos liberare digneris, &c.
In fine Litaniarum dicitur, Pater noster, &c.

Ps. Et nē nos inducas in tentationem, &c.

Psalm. 6. Domine nē in furore tuo arguas me, &c. *qui inveni-
tur in Officio Defuncti: Noct: 1.*

Ps. Domine non secundū peccata nostra facias nobis. *R.* Ne-
quē secundū iniquitates nostras retribuas nobis. *Ps.* Adjuva nos
Deus salutaris noster. *R.* Et propter Gloriam nominis tui Domine
libera nos. *Ps.* Domine nē memineris iniquitatum nostrarum anti-
quarum. *R.* Citō anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes fa-
cti sumus nimis. *Ps.* Ora pro nobis Sancte Sebastiane. *R.* Ut digni
efficiamur promissionibus Christi. *Ps.* Domine exaudi Orationem
meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Deus salutaris noster, & intercedente beata, &
gloriosa Dei genitrice Maria semper Virgine, & beato Se-
bastiano Martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab
iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largi-
tate securum.

O ratio.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum
& corporum medere languoribus, ut remissione percepta
in tua semper benedictione lætemur.

O ratio.

DA nobis quæsumus Domine, piæ petitionis effectum, & pe-
stilentiam, mortalitatemque propitiatus averte, ut mor-
taliū corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodi-
re, & te miserante cessare. Per Dominum.

Preces dicendæ in Litanis tempore belli.

Rituale Romanum.

*Per actis omnibus, ut supra in Litanis majoribus, ad finem
Litaniarum dicitur, Pater noster, &c. Ps.* Et nē nos inducas in ten-
tationem. *R.* Sed libera nos à malo.

Psalmus 45.

Deus noster refugium, & virtus : adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : & transferentur montes in cor mris.

Sonnerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum : conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur : adjuvabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna : dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram : auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confriget arma : & scuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

✠. Exurge Domine adjuva nos. *R.* Et libera nos propter nomen tuum. ✠. Salvum fac populum tuum Domine. *R.* Deus meus sperantem in te. ✠. Fiat pax in virtute tua. *R.* Et abundantia in turribus tuis. ✠. Esto nobis Domine turris fortitudinis. *R.* A facie inimici. ✠. Arcum contere, & confrige arma. *R.* Et scuta combure igni. ✠. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. *R.* Et de Sion tuere nos. ✠. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentiam tuam defensionis expungas, auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

Ora-

Oratio.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Oratio.

Hostium nostrorum, quæsumus Domine elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum, &c.

Si verò bellum est contra Turcas, & alios infideles, vel hæreticos, inter preces Litaniarum bis dicatur. Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos. & addatur Ut Turcarum, vel hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus audi nos. & dicto Pater noster, dicatur.

Psalmus 78.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequò Domine irascèris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia confederunt Jacob: & locum ejus desolaverunt.

Nè memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipient nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Nè fortè dicant in gentibus, ubi est Deus eorum: & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui: posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris sepultum in sinu eorum: improprium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum.

In generationem, & generationem: annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

V. Salvos fac servos tuos. **R.** Deus meus sperantes in te. **V.**
 Esto nobis Domine turris fortitudinis. **R.** A facie inimici. **V.** Ni-
 hil proficiat inimicus in nobis. **R.** Et filius iniquitatis non apponat
 nocere nobis. **V.** Hostium nominis tui Domine elide superbiam. **R.**
 Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. **V.** Fiant tam-
 quam pulvis ante faciem venti. **R.** Et Angelus Domini persequatur
 eos. **V.** Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. **R.**
 Et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. **V.** Mitte nobis
 Domine auxilium de Sancto. **R.** Et de Sion tuere nos. **V.** Domi-
 næ exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.**
 Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

O remus.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut sancto Spi-
 ritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

O ratio.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces po-
 puli tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ ira-
 cundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

O ratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium
 potestates, & omnium jura regnorum, respice in auxi-
 lium Christianorum, ut gentes Turcarum, seu hæreticorum,
 quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiâ conteran-
 tur.

tur. Per Dominum nostrum JESUM Christum, &c. Exaudiat nos Dominus, Amen.

Processio in quacumque tribulatione.

Ibidem.

Servatis omnibus, ut supra in Litanis majoribus: finitisque Litanis dicitur, Pater noster, &c. V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo.

Psalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mitat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.

Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die, quâ invocaverimus te.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c. *vel*

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio, & hic habetur in lib. 1mo. fol. 127.

V. Deus refugium nostrum, & virtus. **R.** Adjutor in tribulationibus. **V.** Salvos fac servos tuos. **R.** Deus meus sperantes in te.

V. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis. **R.** Miserere nobis. **V.** Adjuva nos Deus salutaris noster. **R.** Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos.

V. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.** Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

NE despicias omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus.

Ora-

Oratio.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine nobis clementer ostende, ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsentis liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

Oratio.

Tribulationem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam justè meremur, averte.

Oratio.

Deus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Preces dicendæ in Processione pro gratiarum actione.

Initiò Processionis cantatur. HYMNUS.

TE Deum laudamus : te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem : omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli : tibi cœli, & universæ potestates.

Tibi Cherubim, & Seraphim : incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus : Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli, & terra : majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ majestatis.

Venerandum tuum verum, & unicum Filium.

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devictor mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloria Patris.

Judex crederis eſſe venturus.

Te ergo quaſumus, tuis ſamulis ſubveni: quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum ſanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos uſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi: non confundar in æternum.

Deinde dici poterunt Pſalmi, qui ſequuntur, prout tempus feret.

Pſalmus 65.

Jubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo quàm terribilia ſunt opera tua Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera Dei: terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætābimur in ipſo.

Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant, non exaltentur in ſemetiſiſ.

Benedicite gentes Deum noſtrum: & auditam facite vocem laudis ejus.

Qui poſuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem, & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum: in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, & narrabo omnes quæ timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi: & exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus: qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Psalmus 80.

Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium jucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ.

Quia præceptum in Israël est: & iudicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: linguam, quam non noverat, audivit.

Divertit ab oneribus dorsum ejus: manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, & liberavi te: audivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, & contestabor te: Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam: & Israël non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me: Israël si in viis meis ambulasset.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliasset: & super tribulantes eos misisset manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei : & erit tempus eorum in sæcula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti : & de petra, melle saturavit eos.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus : annunciate de die in diem salutare ejus.

Annunciate inter gentes gloriam ejus : in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis : terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulehritudo in conspectu ejus : sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus : adorare Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus univèrsa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus : gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate : & populos in veritate sua.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 99.

Jubilare Deo omnis terra : servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus : in exultatione.

Scite quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus, & oves pascuæ ejus : introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus in æternum misericordia ejus : & usque in generationem & generationem veritas ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 102.

Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intrâ me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur, ut aquilæ juvenus tua.

Faciens misericordias Dominus: & judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moyfi: filiis Israël voluntates suas.

Miserator, & misericors Dominus: longanimis, & multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Qantum distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorescit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno: & usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum: his qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius: ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus ,
benedic anima mea Domino.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : & veritas Domini
manet in æternum.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

Psalmus 148.

Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus.
Laudate eum sol & luna : laudate eum omnes stellæ , & lumen.
Laudate eum cœli cœlorum : & aquæ omnes , quæ super cœlos sunt , lau-
dent nomen Domini.

Quia ipse dixit , & facta sunt : ipse mandavit , & creata sunt.

Servavit ea in æternum , & in sæculum sæculi : præceptum posuit , & non
præteribit.

Laudate Dominum de terra : dracones , & omnes abyssi.

Ignis , grando , nix , glacies , spiritus procellarum : quæ faciunt verbum
ejus.

Montes , & omnes colles : ligna fructifera , & omnes cedri.

Bestiæ , & universa pecora : serpentes , & volucres pennatæ.

Reges terræ , & omnes populi , principes , & omnes judices terræ.

Juvenes , & virgines , senes cum junioribus , laudent nomen Domini :
quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum , & terram : & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israël , populo appropinquanti sibi.

Canticum trium puerorum. Dan:3.

Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate & superexaltate eum in
sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino : benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes , quæ super cœlos sunt , Domino : benedicite
omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino : benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber , & ros Domino : benedicite omnes spiritus Dei
Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino : benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores , & pruina Domino : benedicite gelu , & frigus Domino.

Benedicite glacies , & nives Domino : benedicite noctes , & dies Domino.

Benedicite lux , & tenebræ Domino : benedicite fulgura , & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet , & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes , & colles Domino : benedicite uniuersa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria , & flumina Domino.

Benedicite cete , & omnia quæ moventur in aquis Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestia , & pecora Domino : benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum : laudet , & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino : benedicite serui Domini Domino.

Benedicite spiritus , & animæ iustorum Domino : benedicite sancti , & humiles corde Domino.

Benedicite Anania , Azaria , Misael Domino : laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem , & Filium cum sancto Spiritu : laudemus , & superexalteinus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli : & laudabilis , & gloriosus , & superexaltatus in sæcula.

Canticum Zacharie. Luc. I.

Benedictus Dominus Deus Israël : quia uisitauit , & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum : qui à sæculo sunt , prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris : & de manu omnium , qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum : daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati : seruiamus illi.

In sanctitate , & iustitia coram ipso : omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta Altissimi uocaberis : præbis enim ante faciem Domini , parare uias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus : in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri : in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his , qui in tenebris & in umbra mortis ſedent : ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto : Sicut erat in principio , & nunc & ſemper , & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæc autem prædicta prout longitudo itineris poſtulaverit , vel omnia , vel ex parte cantari poſſunt. Deinde in Eccleſia , ubi fit ſtatio ante Altare dicuntur ſequentes verſus , & Orationes.

V. Benediſtus es Domine Deus Patrum noſtrorum. **R.** Et laudabilis , & glorioſus in ſæcula. **V.** Benedicamus Patrem , & Filium cum ſancto Spiritu. **R.** Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

V. Benediſtus es Domine Deus in firmamento cœli. **R.** Et laudabilis , & glorioſus , & ſuperexaltatus in ſæcula. **V.** Benedic anima mea Domino. **R.** Et noli obliviſci omnes retributiones ejus. **V.** Domine exaudi Orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus , cujus miſericordiæ non eſt numerus , & bonitatis infinitus eſt theſaurus : piſſimæ majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus , tuam ſemper clementiam exorantes : ut qui petentibus poſtulata concedis , eoſdem non deferens ad præmia futura diſponas.

Oratio.

Deus , qui corda fidelium , ſancti Spiritûs illustratione docuiſti : da nobis in eodem Spiritu recta ſapere , & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

Deus , qui neminem in te ſperantem nimum affligi permittiſ, ſed pium precibus præſtas auditum , pro poſtulatione

nibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut à cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum, &c.

EXORCISMUS.

Contra quaecunque noxia animalia, vermes, mures, serpentes, & alia quaecunque agros, campos, prata, vel aquas extraordinarie inficientia & corrumpentia.

Exorcista veniens ad locum infectum, indutus ad minimum stolâ (quâ in omnibus adjurationibus uti debet) spargat Aquam benedictam circumcirca, vel secundum loci exigentiam. Deinde signans se signò Crucis, dicat.

Ps. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum & terram. Ps. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Subjunget clarâ voce flexis genibus, si commoditas loci permittat, Litanias omnium Sanctorum cum sequentibus orationibus.

Oremus.

DEUS refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

Oremus.

A Loco quæsumus Domine spirituales nequitiae, noxia quæque recedant, & aërearum potestatum malignitas, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi; ut qui justè pro peccatis nostris hanc ærumnam patimur:

Tuâ

Tuâ miſeratione ſalvemur : ut procul tuâ potentiâ, expulſa hæc noxia animalia, nulli de cætero noceant, & hos agros, terras, aquas, in tranquillitate & quiete dimittant; quatenus ex iis proventia tuæ Maieſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati abſque nocumento ſubveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

ꝛ. Amen.

Surgens Exorcifſta ab Oratione verſus agros vel aquam leget ſequentia.

Lectio Apocalypſis Beati Joannis Apoſtoli.

Apoc: 9.

ET quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi. Et aperuit puteum abyſſi. Et aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aër de fumu putei. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram: data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ: & præceptum eſt illis, nè læderent fœnum terræ, neque omnem arborem, niſi tantum homines, qui non habent ſignum DEI in frontibus ſuis. Tu autem Domine miſerere nobis. ꝛ. DEO gratias.

ꝛ. Dominus vobifcum. ꝛ. Et cum ſpiritu tuo. ꝛ. Sequentia S. Evangelii ſecundum Lucam *LUC: II.* ꝛ. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit JESUS diſcipulis ſuis: Petite, & dabitur vobis: pulſate: & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi? Aut ſi petierit ovum: nunquid porriget ei ſcorpionem? Si ergo vos, cum fitis mali, poteſtis bona data dare filiis veſtris: quantum magis Pater veſter de cælo dabit Spiritum bonum petentibus ſe? Laus tibi Chriſte.

Oſculetur librum, & dicat.

Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta, Amen.

Ex Psalms. Psalmo 49

DEUS Deorum Dominus locutus est : & vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum : ex Sion species decoris ejus.

DEUS manifestè veniet : **D**EUS noster & non silebit.

Audi populus meus , & loquar Israël , & testificabor tibi : **D**EUS **D**EUS tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te ; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos : neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum : jumenta in montibus & boves.

Cognovi omnia volatilia cœli : & pulchritudo agri mecum est.

Si eluriero , non dicam tibi : meus est enim orbis terræ , & plenitudo ejus.

Nunquid manducabo carnes taurorum : aut sanguinem hircorum potabo.

Immola **D**E^O Sacrificium laudis : & redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis : eruam te , & honorificabis me.

Ex Psal: 146. **M**agnus Dominus noster , & magna virtus ejus : & sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus : humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Domino in confessione : psallite **D**E^O nostro in cithara,

Qui operit cœlum nubibus : & parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum : & herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum : & pullis corvorum invocantibus eum.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio , & nunc , & semper : & in sæcula sæculorum. Am;

EXORCISMUS.

Exorcizo , & adjuro vos , pestiferi vermes , per **D**E^UM Patrem omnipotentem ✠ & per **J**ESUM Christum ✠ Filium ejus Dominum nostrum , & per Spiritum sanctum ✠ ab utroque procedentem , ut confestim recedatis ab his campis , agris , pratis , hortis , vineis , aquis , & si **D**E^I providentia adhuc vitam vobis indulgeat , nè amplius in eis habitetis , sed ad illa ac talia loca transeat , ubi nullis **D**E^I servis nocere poteritis. Vobis , si per maleficium diabolicum hic estis , pro parte Divinæ Majestatis , totius curiæ cœlestis , nec non Ecclesiæ hic adhuc mi-

militantis impero, ut deficiatis in vobis ipsis, ac decreſcatis, quatenus reliquæ de vobis nullæ reperiantur, niſi ad gloriam DEI, & ad uſum & ſalutem humanam conducibiles. Quod præſtare dignetur, qui venturus eſt iudicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. *R.* Amen.

ALIUS EXORCISMUS.

ADjuro vos dæmones, per DEUM Patrem omnipotentem, qui in deſerto per quadraginta annos ſatiavit filios Iſraël mannâ, & ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut ſtatim ab his agris, campis, vineis, pratis, hortis, aquis, omne quod noxium eſt, amoveatis. Adjuro etiam vos animalia, & quæcunque per maleficium diaboli noxia eſtis hominibus, & bonis eorum, per DEUM Patrem omnipotentem & per Filium ejus, & per Spiritum ſanctum Paraclitum, ut hinc diſcedatis, nocere deſinatis graminibus, frugibus, piſcibus (*exprimantur, quæ nocumentum patiuntur*) & diſſipemini, & omnis virtus & po-teſtas nocendi vobis adimatur, & interimat vos dextera DEI omnipo-tentis per invocationem nominis ſui, & per paſſionem & mortem JE-SU Chriſti Filii ſui, & per merita Beatiffimæ Virginis MARIÆ, & om-nium Sanctorum & Sanctarum cœleſtis curiæ, Amen.

Concludat Exorcista ſequenti Oratione.

Oremus.

OMnipotens ſempiternæ DEUS remunerator omnium bo-norum, & pœnitentium peccatorum maximus miſerator: in cujus nomine omnia genua ſecluntur, cœleſtium, terre-ſtrium, & infernorum: concede nobis propitius, ut quod de gratia & miſericordia tua confiſi agimus; per eandem gratiam & virtutem tuam efficacem conſequamur effectum; ut per tuam clementiam ab hac peſte liberati, Majeſtati tuæ congruas referamus gratiarum actiones. Per Chriſtum Dcminum no-ſtrum. *R.* Amen.

De exorcizandis obsessis à dæmonio.

Sacerdos, seu qui vis alius legitimus Ecclesiæ minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, ea qua par est pietate, prudentiâ, ac vitæ integritate præditus esse debet: qui non sua, sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere recte fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quæ brevitatis gratiâ hoc locò prætermittuntur, ex probatis Auctoribus & ex usu nôsse studeat: tum hæc pauca magis necessaria diligenter observabit.

In primis, nè facile credat, aliquem à dæmone obsessum esse; sed nota babeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atrabile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt, ignotâ linguâ loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere: distantia, & occulta patefacere; vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere: & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum aut alterum exorcisimum interroget obsessum, quid senserit in animo vel in corpore, ut sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur: ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Advertat, quibus artibus, ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimum fallaciter respondere, & difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur, non esse à dæmonio vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omninò esse liberatum: sed cessare non debet Exorcista,
do-

donec viderit ſigna liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcunque poſſunt impedimenta, nè infirmus ſe ſubjiciat exorcismiſ, vel conantur perſuadere infirmitatem eſſe naturalem: interdum in medio exorcismiſ faciunt dormire infirmum, & ei viſionem aliquam oſtendunt, ſubtrahendo ſe, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui oſtendunt factum maleficium, & à quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum; ſed caveat, nè ob hoc ad magos, vel ad ſagas, vel ad alios, quàm ad Eccleſiæ miniſtros confugiat, aut ullâ ſuperſtitione, aut aliò modò illicitò utatur. Quandoque diabolus infirmum quieſcere, & ſuſcipere Sanctiſſimam Eucharistiã permittit, ut diſceſſiſſe videatur. Denique innumerabiles ſunt artes & fraudes diaboli ad decipiendum hominem; quibus nè fallatur, Exorcista cautus eſſe debet.

Quare memor, Dominum noſtrum dixiſſe, genus eſſe dæmoniorum, quod non ejicitur, niſi per orationem & jejunium: *Matth: 17.* hæc duo potiſſimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplò ſanctorum Patrum, quod ad ejus fieri poterit, tum per ſe, tum per alios curet adhiberi.

In Eccleſiam, (ſi commode fieri poteſt,) vel in alium religioſum & honeſtum locum ſeorſum à multitudine per ductus energumenus exorcizetur, ſed ſi fuerit ægrotus, vel perſona nobilis, vel alia honeſta de cauſa in domo privata exorcizari poterit.

Admoneatur obſeſſus, ſi mente, & corpore valet, ut pro ſe oret Deum, ac jejunet, & ſacrâ Confessione, & Communione ſæpiùs ad arbitrium Sacerdotis ſe communiat; & dum exorcizatur, totum ſe colligat, & ad Deum convertat: ac firma fide ſalutem ab eo depoſcat cum omni humilitate. Et cum vehementiùs vexatur, patienter ſuſtineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conſpectu Crucifixum. Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi poſſunt, decenter, ac tutò colligatæ &

coôperta, ad pectus vel ad caput obsessi reverenter admoveantur : sed caveatur, nè res sacræ indignè tractentur, aut illis à dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

Exorcista nè vagetur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris, & occultis ad suum munus non pertinentibus : sed jubeat immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere : neque ei credatur, si dæmon simularet, se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ verò interrogationes sunt, ut de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore quò ingressi sunt, de causa, & aliis hujusmodi. Cæteras autem dæmonis mugas, risus, & ineptias Exorcista cobibeat, aut contemnat : & circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, nè hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum : se potius humiliter & enixè Deum pro eo precentur.

Exorcismos verò faciat, ac legat cum imperio & auctoritate magna fide, & humilitate, atque fervore : & cum viderit spiritum valdè torqueri, tunc magis instet, & urgeat. Et quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, & Aquam benedictam aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Observet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat, & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum & sæpius proferat, semper pœnam augendo : ac si videat se proficere in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caveat proinde Exorcista, nè ullam medicinam infirmo vel obfesso præbeat aut, suadeat : sed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem exorcizans, ſemper ſecum habeat honeſtas perſonas, quæ obſeſſam teneant, dum exagitatur à dæmonio, quæ quidem perſonæ ſint patienti, ſi fieri poteſt, cognatione proximæ, atque honeſtatis memor Exorcista caveat, nè quid dicat, vel faciat, quod ſibi, aut aliis occaſio eſſe poſſit prævæ cogitationis.

Dum exorcizat, utatur ſacræ Scripturæ verbis potiùs, quàm ſuis aut alienis. Jubeátque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel instrumenta, quæ ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat; vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur. Moneatur etiam obſeſſus, ut tentationes ſuas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si verò obſeſſus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter ſibi caveat à peccatis, nè occaſionem dæmoni præbeat in ipſum rever- tendi, nè fiant noviffima hominis illius pejora prioribus.

Itaque Sacerdos, ſive alius exorcista ritè confeſſus, aut ſaltè m corde peccata ſua deteſtans, per actò, ſi commodè fieri poteſt, Sanctiſſimò Miſſæ ſacrificiò, diviniòque auxiliò piis precibus imploratò, ſuperpelliceò, & ſtolâ violaceâ, cujus extrema pars ad obſeſſi collum circumponatur indutus, & coram ſe habens obſeſſum ligatum, ſi fuerit periculum, eum, ſe, & aſtantes communiat ſignò Crucis, & aſpergat aquâ benediçtâ, & genibus flexis, aliis reſpondentibus, dicat Litánias ordinarias uſque ad preces excluſivè.

In fine Antiphona. Nè reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Pater noſter, &c. *✠.* Et nè nos inducas in tentationem. *℟.* Sed libera nos à malo,

Psalmus 53.

DEUS in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.

DEUS exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam : & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me : & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : & in veritate tua disperse illos.

Voluntariè sacrificabo tibi : & confitebor nomini tuo Domine , quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me , & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

✠. Salvum fac servum tuum. **R.** Deus meus sperantem in te.

✠. Esto ei Domine turris fortitudinis. **R.** A facie inimici. **✠.**

Nihil proficiat inimicus in eo. **R.** Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. **✠.** Mitte ei Domine auxilium de sancto. **R.** Et de Sion

tuere eum. **✠.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **✠.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

✠. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **✠.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, *vel* famulam tuam, quem, *vel* quam delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Oratio.

Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam gehennæ ignibus deputasti, qui que unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum, à ruina, & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, nè contemnat sperantes in te, & nè dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit, Deum non novi, nec Israël dimitto. Urgeat illum dextera tua potens, discede-

re à famulo tuo *N. vel* à famula tua *N. ✠* nè diutiùs præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti, qui tecum vivit & regnat, &c. *R.* Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum.

PRæcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, per missionem Spiritus sancti, & per adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui cum aliquo signo; & ut mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias: neque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullò modò offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum. Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. Hæc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore, & pectore.

IN Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, ne-

que ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **Et Verbum Caro Factum est,** & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. **R.** Deo gratias.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum. Marc: 16.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. Luc: 10.

In illo tempore: Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes ad Jesum: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem, Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verum tamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. Lucæ II.

In illo tempore: Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, & cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum, ejicit dæmonia: & alii tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? idè ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit
in

in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, si autem fortior eò superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.

✠. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus, & Dominus universæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate: cujus virtute motus tanquam fulgur de cælo satanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timore, & tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo, datâ veniâ omnium delictorum meorum, constantem fidem, & potestatem donare digneris: ut hunc crudelem dæmonem, brachii tui sancti munitus potentiâ, fidenter, & securus aggrediar, per te Jesu Christe, Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos, & mortuos & sæculum per ignem. **R.** Amen.

Deinde muniens se, & obsessum signò crucis, circumposita a parte stolæ ad collum ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur.

✠. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. **R.** Vicit leo de tribu Juda radix David. ✠. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, invoco nomen sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco, ut adversus hunc, & omnem imundum spiritum, qui vexat hoc plasma

tuum, mihi auxilium præstare digneris. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

EXORCISMUS.

EXorcizo te, immundissime spiritus, omnis incurfio adversarii, omne phantasma, omnis legio in nomine Domini nostri JESU Christi ✠ eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei ✠ & ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, & tempestatibus imperavit. Audi ergo, & time satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, justitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum; quid stas, & resistis, cum scias, Christum Dominum vires tuas perdere? illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.

Sequentes Cruces fiant in fronte obsessi. Recede ergo in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritûs sancti: ✠ da locum Spiritui sancto: ✠ per hoc signum ✠ Crucis JESU Christi Domini nostri. Qui cum Patre, & eodem Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, *R.* Amen,

V. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *V.* Dominus vobiscum, *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum *N. vel* famulam tuam *N.* qui, *vel* quæ, dolis immundi spiritûs appetitur, quem vetus adversarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrore circumvolat, & sensum mentis huma-

næ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepiti timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacésque ejus infidias amove: procul impius tentator aufugiat: sit nominis tui signô ✠ (*in fronte,*) famulus tuus munitus, & in anima tutus, & corpore. *Tres Cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci.* Tu pectoris ✠ hujus interna custodias. Tu viscera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes: in anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da Domine ad hanc invocationem Sanctissimi Nominis tui gratiam, ut, qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibi que possit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente sincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate, &c. *R.* Amen.

EXORCISMUS.

A Djuro te serpens antique, per Judicem vivorum, & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei **N.** qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum ✠ (*in fronte*) non mea infirmitate, sed virtute Spiritûs sancti, ut ex eas ab hoc famulo Dei **N.** quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te urget potestas, qui te Cruci suæ subjugavit. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sic tibi terror corpus hominis ✠ (*in pectore*) sit tibi formido imago Dei ✠ (*in fronte*) Non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et nè contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus ✠. Imperat tibi Majestas Christi ✠. Imperat tibi Deus Pater ✠. Imperat tibi Deus Filius ✠. Imperat tibi Deus Spiritus sanctus ✠. Imperat tibi Sacramentum Crucis ✠. Imperat tibi fides Sanctorum

Apostolorum Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum ✠. Imperat tibi
 Martyrum Sanguis ✠. Imperat tibi continentia Confessorum ✠. Imperat
 tibi pia Sanctorum, & Sanctarum omnium intercessio ✠. Imperat
 tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus ✠. Exi ergo transgressor. Exi
 seductor, plene omni dolô, & fallaciâ, virtutis inimice, innocentium
 persecutor. Da locum dirissime; da locum impiissime; da locum
 Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui
 regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua diripuit, qui
 te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præpara-
 ratus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerarie detrectas?
 Reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es. Reus es Filio
 ejus Jesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere
 præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis
 venenum propinasti. Adjuro ergo te, draco nequissime in nomine
 Agni ✠ immaculati, qui ambulavit super aspidem, & basiliscum, qui
 conculcavit leonem, & draconem, ut discedas ab hoc homine ✠ (*fiat
 in fronte*) discedas ab Ecclesia Dei ✠ (*fiat signum Crucis super cir-
 cumstantes*) contremisce, & effuge, invocato nomine Domini illius,
 quem inferi tremunt, cui Virtutes cælorum, & Potestates, & Domina-
 tiones subjæctæ sunt; quem Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus
 laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
 Imperat tibi Verbum ✠ Caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgi-
 ne. Imperat tibi Iesus ✠ Nazarenus, qui te, cum discipulos ejus con-
 temneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine, quo
 præfente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi
 præsumebas. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ✠ ejus ab homi-
 ne, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere ✠. Durum est
 tibi contra stimulum calcitare ✠. Quia quantò tardiùs exis, tantò ma-
 gis tibi supplicium crescit; quia non homines contemnis, sed illum,
 qui dominatur vivorum & mortuorum, qui venturus est judicare vivos
 & mortuos, & sæculum per ignem. ✠. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam, **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu creator cœli & terræ, qui verus Rex es, & cujus Regni non erit finis; humiliter majestati gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

EXORCISMUS.

ADjuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incurfio satanæ, in nomine JESU CHRISTI ✠ Nazareni, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit, ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu definas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo ✠, qui te, & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu ejus, per Moysen servum suum, in abyssum demersit. Cede Deo ✠, qui te per fidelissimum servum suum David de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugavit. Cede Deo ✠, qui te in Juda Iscariote proditore damnavit. Ille enim te divinis ✠ verberibus tangit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens, & clamans dixisti: Quid nobis, & tibi JESU Filii Dei Altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus est impiis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Tibi enim impie, & angelis tuis vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia

tu es princeps maledicti homicidii; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum magister: tu hæreticorum doctor, tu totius obscenitatis inventor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ scelerate, exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti ✠, cui omne genu flectitur. Da Locum Domino JE su Christo ✠, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✠, sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifestè stravit in Simone magno: qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira condemnavit, qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percussit; qui te in magno Elima per Apostolum suum Paulum cæcitatæ caligine perdidit, & per eundem de Phytonissa verbò imperans exire præcepit. Discede ergo nunc ✠, discede ✠ seductor. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare, & prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum, & precedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est. Ille te expellit cujus virtuti universa subiecta sunt. Ille te excludit, qui tibi, & angelis tuis præparavit æternam gehennam: de cujus ore exhibit gladius acutus; qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *R.* Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.

Juvabit præterea plurimum, hæc, quæ infra notantur: super obsessum devotè dicere, sæpèque repetere. Pater noster, &c. Ave Maria, &c. Credo, &c.

Canticum B. Mariæ Virginis. Lucæ i. Magnificat, quod habetur in Offic: Def: ad Vesp:

Canticum. Benedictus Dominus Deus Israël

ut supra pag: 408. lib: 3.

Symbolum Sancti Athanasii.

Quicumque vult salvus esse : ante omnia opus est , ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram , inviolatamque servaverit : absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica est , ut unum Deum in Trinitate : & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas : neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris , alia Filii : alia Spiritus sancti.

Sed Patris & Filii , & Spiritus sancti una est divinitas : æqualis gloria , coæterna majestas.

Qualis Pater , talis Filius : talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater , increatus Filius : increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater , immensus Filius : immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater , æternus Filius : æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni : sed unus æternus.

Sicut non tres increati , nec tres immensi : sed unus increatus , & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater , omnipotens Filius : omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes : sed unus omnipotens.

Ità Deus Pater , Deus Filius : Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii : sed unus est Deus.

Ità Dominus Pater , Dominus Filius : Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini : sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur : ità tres Deos , aut Dominos dicere , Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo est factus : nec creatus , nec genitus.

Filius à Patre solo est : non factus , nec creatus , sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre , & Filio : non factus , nec creatus , nec genitus , sed procedens.

Unus ergo Pater , non tres Patres , unus Filius , non tres Filii : unus Spiritus sanctus , non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius , nihil majus aut minus : sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt , & coæquales.

Ità ut per omnia , sicut jam supra dictum est , & unitas in Trinitate : & Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse : ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem : ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur : quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus : & homo est ex substantia Matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo : ex anima rationali & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum divinitatem : minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, & homo : non duo tamen sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem : sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ : sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo : ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos : tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est iudicare vivos & mortuos.

Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis : & redditori sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica : quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus. **Q**ui habitat in adiutorio, &c. *ut supra* pag: 127. in lib: 1.

Psalmus 67.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus : & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant : sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei : & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus : turbabuntur à facie ejus , patris orphanorum , & judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo : Deus qui inhabitare facit unius moris in Domo.

Qui educit vinctos in fortitudine : similiter eos , qui exasperant , qui habitant in sepulchris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui : cum pertransires in deserto.

Terra mota est , etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai : à facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ , & infirmata est : tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea : parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus : virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti : & speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros , pennæ columbæ deargentatæ : & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam : nive dealbabuntur in Selmon , mons Dei , mons pinquis.

Mons coagulatus , mons pinquis : ut quid suspicamini montes coagulatos.

Mons , in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex , millia latantium : Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum cepisti captivitatem : accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes : inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie : prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster , Deus salvos faciendi : & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum : verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus , ex Basan convertam : convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus : ingressus Dei mei , regis mei , qui est in sancto.

Pravenerunt principes conjuncti psallentibus : in medio juvenularum tympanistiarum.

In Ecclesijs benedicite Deo Domino : de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescentulus : in mentis excessu.

Principes Juda , Duces eorum : Principes Zabulon , Principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus , quod operatus es in nobis.

Atemplo tuo in Jerusalem : tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis , congregatio taurorum in vaccis populorum : ut excludant eos , qui probati sunt argentô.

Dissipa gentes , quæ bella volunt , venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo : psallite Domino.

Psallite Deo , qui ascendit super cælum cæli : ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis , date gloriam Deo super Israël : magnificentia ejus , & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis , Deus Israël ipse dabit virtutem , & fortitudinem plebi suæ : Benedictus Deus.

Gloria Patri , & Filio : & Spiritui sancto , &c.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur , & reveantur : qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum , & erubescant : qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescences : qui dicunt mihi , Euge , euge.

Exultent & lætentur in te omnes , qui quærunt te : & dicant semper , magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum : Deus adjuva me.

Adjutor meus , & liberator meus es tu : Domine nè moreris.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

Psalmus. Deus in nomine tuo saluum me fac , &c.

ut supra pag: 417. lib: 3.

Psalmus 117.

Confitemini Domino , quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum : quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum : & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum ut caderem: & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar sed vivam: & narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine Salvum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de Domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

Constituete diem solemnem in condensis: usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 34.

Judica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Confundantur, & revereantur: quærentes animam meam.

Avertantur retrorſum, & confundantur: cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini perfequens eos.

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui: ſupervacue reprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio, quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: omine, quis ſimilis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum, & pauperem à diripientibus eum.

Surgentes teſtes iniqui: quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ.

Ego autem cùm mihi moleſti eſſent: induebar ciliciò.

Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo convertetur.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam: quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar.

Et adverſum me lætati ſunt, & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.

Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

Domine quando reſpicias: reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.

Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo gravi laudabo te.

Non ſupergaudeant mihi qui adverſantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilataverunt ſuper me os ſuum: dixerunt, euge, euge, viderunt oculi noſtri.

Vidiſti Domine, nè fileas: Domine nè diſcedas à me.

Exurge, & intende judicio meo: Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam.

Judica me secundum justitiam tuam Domine Deus meus : & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis, euge, euge, animæ nostræ: nec dicant devoravimus eum.

Erubescant, & revereantur simul : qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione, & reverentiâ : qui magna loquuntur super me.

Exultent, & lætentur, qui volunt justitiam meam : & dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam : tota die laudem tuam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 30.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera uteruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu : & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me Domine Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates: supervacuè.

Ego autem in Domino speravi: exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam : salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatiofo pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valdè: & timor notis meis.

Qui videbant me foras fugerunt à me : oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde.

Factus sum tamquam vas perditum : quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me : accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi Domine : dixi Deus meus es tu , in manibus tuis fortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum : & à persequentibus me.

Illustra faciem tuam super serpum tuum , salvum me fac in misericordia tua : Domine non confundar , quoniam invocavi te.

Erubescant impii , & deducantur in infernum : muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem : in superbia , & in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine : quam abscondisti timentibus te.

Perfecisti eis , qui sperant in te : in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ : à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo : à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus : quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : projectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideò exaudisti vocem orationis meæ : dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus : quoniam veritatem requirit Dominus & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite & confortetur cor vestrum : omnes qui speratis in Domino.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

Psalmus 21.

Deus Deus meus , respice in me , quare me dereliquisti ? longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem , & non exaudies : & nocte , & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas : laus Israël.

In te speraverunt patres nostri : speraverunt , & liberasti eos.

Ad te clamaverunt , & salvi facti sunt : in te speraverunt , & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis , & non homo : opprobrium hominum , & abjectio plebis.

Omnes videntes me , deriserunt me : locuti sunt labiis , & moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: nè discesseris à me.

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquecens: in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine nè elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israël: quoniam non speravit neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudivit me.

A pud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

E dent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscetur, & convertentur ad Dominum: universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus: universæ familiæ gentium.

Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: & semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me: multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sinè causa: dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 10.

In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra: ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 12.

Usquequò Domine oblivisceris me in finem? usquequò avertis faciem tuam à me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem.

Usquequò exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, nè umquam obdormiam in morte: nè quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini Altissimi.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto, &c.

Oratio post liberationem.

ORamus te Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo *N. vel* famula tua *N.* sed ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum *vel* in eam Domine, te jubente, bonitas, & pax Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

DE MISSA,

Quæ coram Episcopo celebratur.

I. Si contingat Episcopum in sua diœcesi interesse Sacro, paretur pro eo ante medium Altaris (nisi aliud situs loci sua-deat) genuflexorium.

II. Celebrans, priusquam Episcopus compareat, sit para-

mentis indutus, eumque ex parte Evangelii ante inferiorem gradum Altaris collocatus, præstoletur. Ad ingressum Episcopi, prius facit genuflexionem Altari (si ibidem sit Venerabile in tabernaculo) aliàs profundam capitis inclinationem, deinde vertit se ad Episcopum, similiter profundè inclinat, quasè licentiam Missam inchoandi peteret.

III. In **Confiteor** non dicit **Et vobis fratres**, sed **Tibi Pater**, cum profunda capitis inclinatione versùs Episcopum.

IV. Dictò post Introitum **Oremus**, observat easdem genuflexiones & inclinationes uti ad initium, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & secretò dicit **Aufer à nobis**, &c. ascendit Altare, & inchoat Missam: Minister, verò, ad cornu Evangelii, ibique genuflexus inservit, præmissis reverentiis Altari, & Episcopo, quas semper observabit, quotiescunque surrexerit, & opus ministerii exercuerit.

V. In fine Evangelii Celebrans non osculatur librum, nec dicit. **Per Evangelia dicta**, sed Minister accipit librum, & defert Episcopo, osculandum sinè genuflexione, quò deosculatò, genuflexionem facit Episcopo, librum claudit, ac refert ad Altare unde accepit.

VI. Dum Celebrans dicit: **Orate fratres**, profundam coram Episcopo inclinationem capitis facit, circulum peragit & sacrum prosequitur.

VII. Absolutà primâ Oratione ante Communionem, osculatur Celebrans Altare in medio, & instrumentum Pacis (quod minister genuflexus porrigit) dicens: **Pax tecum**, cui minister respondet: **Et cum spiritu tuo**. Mox defert minister instrumentum pacis ad Episcopum deosculandum sinè genuflexione, dicens pariter: **Pax tecum**, quò deosculatò facit genuflexionem & recedit.

VIII. Dictò, **Placeat**, & **Benedicat vos omnipotens Deus**, ante

ante Benedictionem convertit se ad Episcopum, & capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, erecto corpore dicit: **Pater, & Filius, & Spiritus sanctus**, benedicens stantes à parte, ubi Episcopus non flectit.

IX. Finitò ultimò Evangelio redit ad medium Altaris, facit inclinationem capitis, descendit ad partem Evangelii, ubi in principio stetit, facit genuflexionem Altari, & profundam inclinationem capitis Episcopo, quo discedente revertitur ad sacristiam.

Hæc omnia observantur, quando quis coram Episcopo in loco suæ Jurisdictionis legit Missam, non autem extra Diocesim, nec etiam coram alio Prælato Ecclesiastico, licet Majore, **excepto Pontifice**, multò minùs coram Principe Laico, quamvis his ex tolerantia instrumentum Pacis & Liber Evangeliorum (non tamen ille, quo Celebrans utitur) deosculandus offerri cum reverentiis possit, non tamen sceminis.

DE CONCIONE

coram Episcopo facienda.

Conciones quædam sunt ordinariæ, quæ intrâ Missarum solennia, post Evangelium primum (nisi contraria consuetudo excuset) fiunt, & Evangelio Missæ correspondent. Aliæ extraordinariæ, quæ tempore Jubilæi, Quadraginta horarum, in adventu alicujus maximi Principis, & in obitu cujuscunque fiunt. Ordinariæ si fiant à Celebrante apud Altare, eas in casula, ex parte Evangelii sedens faciet. Si in ambona exutâ casula & manipulo, retentâ stolâ supra Albam proferet. Reliqui Concionatores induunt Rochetum, vel Superpellicium & desuper stolam, quando concionantur. Extraordinariæ Conciones non fiunt intrâ Missam, sed post, & non petitur pro

iis benedictio præsente Episcopo, sicut in ordinariis fieri solet, ut mox dicemus.

*Si Episcopus non celebret, sed Missæ per alium cantatæ interfit, & sermo ad populum faciendus sit post Evangelium, quicumque sermonem habiturus, ducetur per Cæremoniarium Episcopi cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam (nisi fuerit Canonicus Cathedralis Ecclesiæ) genuflexus osculatur; Canonicus autem stans, profundè inclinatus osculatur manum, deinde benedictionem petit dicendo: **Jube Domine benedicere.** Cui Episcopus respondet: **Dominus sit in corde tuo, &c.** Si contingat consuetas indulgentias promulgare, petit mox ab eodem indulgentias, dicendo: **Indulgentias Pater Reverendissime.** Cui Episcopus concedit indulgentias consuetas. Quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit ac vadit ad ambonam, seu pulpitum, in quod cum conscendit, aliquantulum quiescit, ac se componit cooperiens caput; & statim capite detecto, signat se signo crucis, & genuflexus recitat salutationem Angelicam voce intelligibili, mox surgit, ac Evangelium clara voce prælegit; quò obsolutò; capite cooperito, facit sermonem. Cùm convertit se ad Episcopum præsentem caput profundè inclinat. Finitò sermone detecto capite publicat indulgentias ab Episcopo concessas, & alia promulganda promulgat, ac descendit.*

Instructio Parochorum & aliorum Confessoriorum, pro Casibus, quorum absolutio, vel dispensatio spectat ad sacram Pœnitentiarum, seu ad Sedem Apostolicam.

Cùm notum sit multos inter Christi fideles utriusque sexus ubique locorum existentes, censuris, irregularitatibus, impedimentis votorum, & Matrimonii, aliisque hujusmodi casibus

bus ad sacram Pœnitentiariam, seu Sedem Apostolicam spectantibus respectivè irretitos diù permanere, imò interdum miserè perire, tanti mali causam ex his fontibus provenire comperitum est.

Primò: quia Parochi, vel alii Confessarii, in quorum manus hujusmodi Pœnitentes veniunt, ii præsertim, qui ruri & in pagis extra civitates habitant, sæpissimè nesciunt ad quem in urbe pro remedio confugiant, qui vel absolutionis, vel dispensationis literas à sacra Pœnitentiaria iis procuret. Unde fit, ut hâc curâ depositâ, Pœnitentes vel ad Episcopos, vel ad alios mittant, ad quos isti præ rubore, & verecundia (fœminæ præsertim) accedere verentur.

Secundò: alii, verò, qui suos habent Romæ Procuratores tantam pecuniæ vim pro expensis exigunt, ut hi præ inopia tantis sumptibus impares omninò recedant, & fortè sibi persuadeant (quod longè pejus esset) sacrum tribunal Pœnitentiariæ pro dictis literis, aliquid lucri reportare.

Tertiò: facit etiam nonnullorum Confessariorum ignorantia, ut gratiæ obtentæ irritæ sint; qui casus, & casuum circumstantias necessariò explicandas, malè interdum exponunt: quò fit, ut literarum executores, præmissa Pœnitentiæ examine, rem aliter se habere, quàm exposita fuerit, comperiant, ac proinde dictas literas exequi non possint, unde Pœnitentes quasi desperati pro novæ gratiæ impetratione, remedio privati manent.

Quartò: accidit etiam non rarò, ut pœnitentes obtentis literis non possint in suis pagis facillè reperire Doctorem Theologiæ, vel sacrorum Canonum (his enim ut plurimum literæ sacræ Pœnitentiariæ inscribuntur) vel is, cui committitur sit suspectus, aut distans, ità ut facillè adiri nequeat, ob quam

causam accidit, ut literæ suo careant effectu, & miseri pœnitentes in suis sordibus permanere cogantur.

His præmissis, cùm certum sit sacræ Pœnitentiæ tribunal salutem duntaxat animarum intendere, & omnia gratis concedere, propterea Parochis, & Confessariis aliquot capita proponuntur pro remedio indicatorum incommodorum.

Primò: ubi accedit aliquis ad illos casu quopiam ad dictum tribunal pertinente laborans, examinent diligenter pœnitentem, ut rem totam sincerè aperiatur. Observent genus censuræ, scrutentur etiam facti circumstantias; itèm inquirent de pœnitente, an sit vir aut fœmina, an Laicus, aut Clericus, an Regularis, aut Secularis, an Sacerdos, aut in ordine Sacro, aut simplex Clericus, aut Monialis &c. Itèm appellent genus censuræ incurse, & casum ex quo incurse est, an publicus, vel occultus. Et circa irregularitatem videant, an ex delicto, & ex quali delicto, cum suis circumstantiis: an ex defectu & ex quali defectu, an ex homicidio aut mutilatione, an ex violatione censuræ &c.

In matrimoniis inquirent quale sit impedimentum, an vera sit occultum, an de contracto Matrimonio, vel de contrahendo agatur. Itèm quid causæ allegetur pro dispensatione obtinenda. (Idem fiat pro votis, scilicet: quid causæ pro commutatione, & ad quem effectum) præsertim de Clerici percussore disquiratur, si quis ad urbem pro absolutione accedere non valeat.

Secundò: habitâ verâ totius causæ notitiâ scribant cursum in charta quocunque charactere, dummodo legi possit, idque latinâ sive quâlibet alia cuiuscunque Regionis nativâ linguâ, omissis inutilibus, reticito etiam nomine & cognomine pœnitentis (quamvis nullum sit periculum rem & personam pro-
den-

dendi) nisi forte ageretur de censuris implicitis contra publicos Clericorum percussores, & duellantes in publicum, tunc enim nomen & cognomen & Diœcesis exprimenda sunt. In occultis verò, per simplex NN. proceditur, & casum sic inscriptum directè mittant per postam seu communem tabellarium Romam majori Pœnitentiario. Qui certè pro sua humanitate, & charitate libenter omnes audiet, jubebit literas expedire & rescribendo mitti curabit.

Tertiò: in literis Romam ad eum missis significant, quomodo & quâ viâ responsum mittendum sit per postam seu communem publicum tabellarium, terminando literas Eminentissimo inscriptas in hunc ferè modum: Dignetur Eminentia vestra rescribere N. N. in civitate M. pro tali oppido N.

Sic autem incipiant epistolam seu supplicationem:

Eminentissime & Reverendissime Domine,

N. Sacerdos contraxit Irregularitatem N. ex homicidio occulto, ab eo ob talem vel talem causam, clam tali modo patratò, vel procuratò in persona hominis Laici. Ab eo tempore non abstinuit ab exercitio Ordinum vitandi scandali causâ, vel nè se proderet, sive abstinuit, sed cum diù sine scandalo abstinere non possit, humillimè supplicat pro remedio.

NN. Contraxit Matrimonium cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat, conscius, vel nescius impedimenti (quod occultum est) quare cum absque scandalo separari non possint, humillimè supplicat pro remedio.

NN. Mulier emisit votum Castitatis perpetuæ, sed cum adfit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, humillimè supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi.

Sed cum innumeri sint Casus, in quibus supplicari debet Eminentissimo Cardinali majori Pœnitentiario, innumera quoque sunt exemplaria, pro quorum notitia hæc indicasse sufficiat.

Denique si in illo oppido seu civitate, in qua Eminentissimo Pœnitentiario (ut præfertur) scribitur, non fuerint Confessarii, Doctores in Jure Canonico, vel Magistri in Sacra Theologia, vel si adsint, pœnitens non possit de facili induci eis aperire conscientiam suam, cum jam aperuerit alicui Confessario non graduato, hoc ipsum in literis missis, ipsi Majori Pœnitentiario significetur. Quod idem significandum est, si Confessarius characterem legere nesciat, quia uti spero, de opportuniori remedio providebitur.

Quòd si aliquando tardaverit responsum Eminentissimi Majoris Pœnitentiarum, tunc poterunt Confessarii, seu Pœnitentes iterum scribere, ut si fortè deperditâ primâ Epistolâ, altera ad manus Eminentissimi Majoris Pœnitentiarum perveniat. Et ex his adjuvante Deo, præmissis omnibus incommodis providebitur, & animas fratrum nostrorum Deo nostro lucrabimur.

Epistolam verò seu supplicationem dirigant scribendo extrâ seu afforis in hunc modum:

Eminentissimo & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario, &c. &c.

Modus installandi, seu introducendi Neo-Parochum in suam Possessionem.

Primò installandus flectat genua ante ostium Ecclesiæ, indutus superpelliciò & stolâ: tunc assistens Executor installans dicat Psalmum:

Memento Domine David: & omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino: votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei.

Si dederò somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino: tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam : tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiâ : & sancti tui exultent.

Propter David servum tuum : non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum : & testimonia mea hæc quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum : sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo quoniam elegi eam.

Viduum ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari : & sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Deinde dicat : Pater noster. *✠.* Et nè nos inducas in tentationem. *℞.* Sed libera nos à malo. *✠.* Benedicat tibi Dominus ex Sion. *℞.* Et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. *✠.* Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum. *℞.* Ex hoc nunc & usque in sæculum. *✠.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat. *✠.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Prætende Domine famulo tuo dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* Amen.

Postea assignet ei claves & tenaculum ostii Ecclesiæ dicens :

Mitto te in possessionem istius Ecclesiæ autoritate quâ fungor : in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis : Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *℞.* Amen.

Deinde subjungat Collectam.

Oremus.

DEus qui Beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cœlestis animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti: concede propitius, ut intercessionis ejus auxiliô à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Et introductô eô ad Ecclesiam incipit: Te Deum Laudamus. Interim campanæ compulsentur. Quibus finitis stantes ante summum Altare: Antiphonam, Versum, & Collectam de Patrono Ecclesiæ dicant: Deinde Psalmum De profundis, &c. Pater noster.

Ps. Et nè nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo. *Ps.* A porta inferi. *R.* Erue Domine animas eorum. *Ps.* Credo videre bona Domini. *R.* In terra viventium. *Ps.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus in cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis, & famulabus tuis hîc & ubique in Christo quiescentibus, da propitius suorum veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absoluti, tecum finè fine lætentur.

Fidelium Deus omnium Conditor, & redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui cum Patre vivis & regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Posteà commendetur populo, ut bonoretur, uti ipsorum Pastor. Et tunc intrantes domum Parochialem dicat executor. Ps.

Pax huic domui. *R.* Et omnibus habitantibus in ea.

Ore-

Oremus.

Visita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes infidias inimici ab ea longè repelle: & sancti Angeli tui habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde commendet illi omnia temporalia.

Professio Fidei à Pio IV. decreta.

Postquam hæreticus est sufficienter instructus in articulis fidei, adducatur coram testibus ad aliquod Altare; & si sit hæreticus literatus in partibus Germaniæ, non fiant aliæ cæremoniæ verberationis &c. Sed jubeatur facere Professionem fidei sequentem editam à Pio IV.



EGO **N.** firmâ Fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta, & Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem Cæli & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum, de Deo vero; Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine: **ET HOMO FACTUS EST.** Crucifixu etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertiâ die, secundum scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem; Qui ex Patre Filióque procedit; Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas.

Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma, in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones, firmissimè admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, (licet non omnia singulis necessaria,) scilicet Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptisma, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supra dictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio, & admitto.

Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione, in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis, in Corpus, & totius substantiæ vini, in Sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem nominat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie Panis, totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium

lium suffragiis juvari: similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, & juro.

Cætera itè omnia à Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacro-sancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentis sponte profiteor, ac veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idemmet **N.** spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Eadem Professio pro hæretico Germanico.

E**N.** bekenne und glaube von Grund meines Herzens sammentlich und sonderlich, alles so in dem Heiligen Glauben begriffen ist, den die Heilige Römische Kirch, auf diese Weis gebrauchet. Ich glaube in einen Gott Vatter, Allmächtigen Schöpffer Himmels und
der

der Erden, aller sichtbahren und unsichtbahren Dingen, und in einen unseren Herrn Jesum Christum, den Eingebornen Sohn Gottes, aus dem Vatter von Ewigkeit gebohren, Gott von Gott, Licht von Licht, ein wahren Gott von wahren Gott, gebohren und nicht erschaffen, gleicher Substantz und Weesens, mit dem Vatter, durch ihn seynd alle Ding erschaffen. Der um uns Menschen und unsers Heyls willen ist gestiegen von den Himmeln, und hat durch den Heiligen Geist aus Maria der Jungfrauen Fleisch an sich genommen, und ist Mensch worden. Er ist auch für uns unter Pontio Pilato gekreuziget worden, hat gelitten, und ist begraben, und am dritten Tag, laut der Heiligen Schrift, wiederum auffgestanden. Er ist gen Himmel auffgefahren, sitzet zur Rechten Gottes des Vatters, und wird wiederum kommen mit Glory und Herrlichkeit zu richten die Lebendigen und die Todten, dessen Reich kein Ende seyn wird. Ich glaube auch in den Heiligen und Lebendigmachenden Geist, der vom Vatter und dem Sohn ausgehet, der samit dem Vatter und dem Sohn zugleich wird angebetet, und geehret, der geredet hat durch die Propheten. Ich glaube auch eine einige, Heilige, Catholische und Apostolische Kirchen. Ich bekenne eine Tauff zur Vergebung der Sunden, und erwarte die Auferstehung der Todten, und ein Leben der künftigen Zeit, Amen.

Ich glaube auch vestiglich, und nihme an der Heiligen Apostel, und Catholischen Kirchen Lehr, Ordnung und Sakungen. Die Heilige Schrift verstehe und lasse ich zu, in dem Verstand, den die Heilige Kirch unser Mutter bisher gehalten und noch hält, deren da zugehoret, von dem rechten Verstand und Auslegung der Heiligen Schrift zu urtheilen, und zu richten: Ich will auch gemeldte Schrift allzeit nach der einhelligen Auslegung der Heil: Vätter verstehen und auslegen.

Ich glaube und bekenne auch, daß warhafftig und eigentlich
sic=

sieben Sacrament des Neuen Gesetzes oder Testaments von Christo Jesu unserm Herrn eingesetzt, und dem Menschlichen Geschlecht sehr nützlich (wiewohl nicht alle einem jeden Menschen zur Seligkeit nothwendig) seyn, als die Tauff, die Firmung, das Sacrament des Altars, die Buß, die Letzte Oelung, die Priesterweihhe und die Ehe, und daß die Sacrament dem Menschen Gnad mittheilen, aus welchen die Tauff, die Firmung, und die Priesterweihhe, ohne grosse Gottslasterung nicht mögen zum andernmahl wiederhollet werden.

Ich nihme auch auf und an, alle bewehrte und gewöhnliche Bräuch und Caremonien der Catholischen Kirchen, die sie in hochermeldter Sacramenten öffentlicher Reichung und Administration gebraucht.

Desgleichen glaub ich alles sammentlich und sonderlich, was von der Erb-Sünd und Rechtfertigung des Sünders, im allgemeinen Concilio zu Trient, zu glauben erklärt und beschlossen worden ist.

Item, glaube ich, daß in der Heiligen Mess, Gott dem Herrn ein wahres eigentliches und Verjöhn-Opffer, für die Lebendigen und die Todten aufgeopfert werde, und daß im Hochwürdigem Sacrament des Altars seye wahrhaftig, leiblich und wesentlich der Leib und das Blut mit Seel und Gottheit unserß Herrn Jesu Christi: Und daß die ganze Substanz des Brods in den Leib, und die ganze Substanz die Weins in das Blut Christi verwandelt werde, welche Verwandlung die Catholische Kirch nennet, Transsubstantiationem, das ist, Verwandlung einer Substanz in die andere.

Ich glaube auch, daß unter einer Gestalt allein der ganze und unzertheilte Christus, und das wahre Sacrament seines Irenleichnamß, fruchtbarlich genossen, und seliglich empfangen werde.

Ich glaube vestiglich, daß ein Fegfeuer seye, und daß den Christglaubigen Seelen so allda abzudüssen verhasstet, durch Fürbitt, Almosen, und andere Gottselige Werck der Glaubigen geholffen werde.

Item, daß man die Lieben Heiligen, welche mit Christo regieren, als Freund Gottes und unsere seelige Mitglieder, ehren und anrufen solle, und daß sie auch Gott für uns bitten, darzu auch: daß ihre Heilige Leiber und Heylthum, als gewesene Werkzeug des Heiligen Geistes, so wieder am jüngsten Tag zu ewiger Glory erstehen werden, in Ehren zu haben seynd.

Ich glaube auch beständiglich, daß unser HERN IESU Christi und seiner Mutter Maria, auch anderer lieben Heiligen Bilder und Gemähl, welche uns der Wohlthaten Gottes, und aller guten Exempel erinnern, zu haben, und zubehalten seynd, und daß man ihnen gebührende Ehr und Reverenz erzeigen solle.

Item, ich glaube fürgewiß, daß Christus unser lieber HERN in der Kirchen den Gewalt des Ablass gelassen habe, und daß dessen Gebrauch dem Christlichen Volck hochnußlich und heylsam seye.

Ich erkenne auch, die Heilige Catholische Apostolische Römische Kirchen, für ein Mutter und Meisterin aller andern Kirchen.

Verheisse auch und gelobe warhafftigen Gehorsam dem Römischen Bischoffen, als der da ist des heiligen Petri der Aposteln Fürsten, Nachkommer, und unser HERN IESU Christi auf Erden Vicarius und Statthalter.

Desgleichen glaub ich auch, und nehme ungezweiffelt an alles, was von den Heiligen Canonen und allgemeinen Concilien, und insonderheit von dem jüngst-gehaltenen Heiligen Concilio zu Trient, zu glauben fürgehalten, gebotten, beschlossen und erkläret ist. Hergegen aber verwirffe, verfluche und verdamme ich alle Kezeren, Irthumben, und Glaubens-Spaltungen,

so von gemeldter Kirchen bishero verworffen, verflucht, und verdammet seynd.

Diesen wahren Catholischen Glauben, aufferhalb dessen, niemand selig werden kan, den ich allhier zugegen freywillig bekenne und warhafftig glaube, denselben (wills Gott) will ich ganz unverlezt, bis an mein letztes End, vestiglich und beständiglich halten und bekennen.

Ich will auch so viel mir möglich, allen Fleiß anwenden, damit dieser Glaub von meinen Unterthanen, oder von denen, welche meiner Sorg befohlen seynd, gehalten, gelehrt, und geprediget werde. Das verheisse, gelobe und schwere ich N. also helffe mir die Allerheiligste und unbegreiflichste Dreysaltigkeit, und alle Gottes Heiligen und Auserwählten, Amen.

Eadem Professio pro hæretico Boëmico vel similis linguæ.



A N. pewně wěřim / a wyznávám wšechno
spolu / a gednokožde / wzlaště / to co se obsahuje /
w Srownánj Wjry / kterého Swatá Cýrkev Řzjm-
ská / vžjvá; gménowitě: Wěřim w gednoho BŮ-
ha Otce Wšemohaučýho / Stworitele Nebe y Země / wšech wi-
domých y newidomých Wěcý / a w gedineho Pána nasseho BĚ-
žisse Krysta / Syna Božjho gednorozeneho / a z Otce narozeneho
predewšsemi wěky / Boha z Boha / a Swětlo z Swětla / Boha
praweého / z Boha praweho / splozeneho newčiněného spolu pod-
statného Otcy / strze kterého wšechy wěcy včiněné gsau / kterýžto
pro nás Lidj / a pro nasse Spasení zstaupil z Nebes / a wtělil se
gest z Duchu Swateho z Marye Panny / a Cžlowěkem včině-
gest / Vkřižowán také pro nás pod Pontským Pilátem / trpěl a
pohřben gest / a třetj Den wstal z Mrtwých podle Pjsem. A

wstaužil na Nebesa / sedj na Prawicy Otce / a zase přigde s Slá-
wau sauditi Žiwé y Mrtwé / gehožto Kráľowstwj nebude kon-
ce: a w Duchu Swateho Pána / a obžiwugjcyho / kterýž z Ot-
ce y Syna pochází / kterýžto s Otcem a s Synem spolu weleben/
a oslawen býwá / kterýž mluwil skrze Proroky. A gednu Swa-
tau Wisseobecnu a Aposstolskau Cýrkew ; wyznávám gedem
Křest / na odpustěnj Hřichůw / a očekávám Wzkříšěnj mrtwých /
a žiwota budaucyho Wěku / Amen.

Aposstolské a Cýrkewnj wčenj / a wsseligaké giné / též Cýrkwe
Porádky a Ustanowenj / též přigjmám a připausstjm pewně.
Jtem / Swaté Pissmo podle toho Smyslu / kterýž držela / a držj
Cýrkew Matka Swatá / gižto přináležj sauditi o prawém Smy-
slu a Wykladu Pissma Swateho / a to Pissmo negináť než wedlé
smyslneho Sněšěnj Otcůw Swatých přjgmu a wykladati budu.
Wyznávám též prawě a vlastně Sedm Swátosti Nowého Zá-
kona býti / od Blžisse Krysta Pána nasseho ustanowené / a k
Sčasěnj lidskeho Pokolenj / (ač newssedkny gednomu každému
potřebně) gménowitě tyto : Křest / Birmowánj / Swátost Ol-
tárnj / Pokánj / poslednj Pomazánj / Kžád Kněžstý / a Manžel-
stwo / a též wěřim / že Milost Božj přinášegj / z nichž tyto tři /
Křest / Birmowánj / a Kžád Kněžstý / bez Swato-křádeže opa-
kowati se nemohau ; zachowalé také a wtworzené Obyčege při
slawném Přisluhowánj wýš gménowaných Swátosti Porádky /
přigjmám a připausstjm.

To wssedkno / y každé zwlášt / co na Swato-Swatém Try-
dentském Sněmu / o Hřichu přitozeném / a o Osprawedlněnj /
wyměřeno a wyswětleno gest / připausstjm a přigjmám.

Wyznávám také / že se při Missy Swaté obětuge prawá a
wlastnj milostiwá Obět / za žiwé y mrtwé ; A že w Přewelebně
Swátosti Oltárnj / gest prawé / skutečné / a podstatné Tělo a
Krew / spolu s Dussy / y s Božstwjem Pána nasseho Blžisse Krysta:

sta: Uže se stává Proměna celé Podstaty Chleba w Tělo / a celé Podstaty Wjna w Krew; kterážto Proměna od Cýrkwe Wsseobecné Transubstantiatio, to gest / Proměna Podstaty se nazývá.

Wyznávám také / že pod gednau toliko Spůsobau / wsseceť a celý Krystus / a prawá Swátost se přigjmá.

Stale na tom stojim / že Očistec gest / a Dussem w něm zadržalým / Službami wěrných Lidj že se Pomoc děge.

Přitom wyznávám / že Swatj / giž s Krystem Pánem kralu gicj / ctěni a wzywáni býti magj; a že Oni za nás Modlitby Pánu Bohu obětugj / a gegjch Swátostem (gakožto předesslým Nádobám Ducha Swateho / kterj w poslednj Den k Sláwě wěčné powstanau) Doctiwost že činěná býti má.

Pewně gistim / že Obrazowé Krysta Pána / Rodičky Božj Blahoslavené Panny Marye / y giných Swatých chowáni a držáni býti magj / a že se gim příslussná Čest a Doctiwost činiti má.

Mocnost Odpustkůw w Cýrkwi od Krysta ustanowených / a gich wzywánj Lidu welmi prospěšné gistim; Tež swatau Wsseobecnau Řzjmskau Cýrkew / wssech Cýrkwj Matkau a Mistrynj býti wznávám.

Řzjmskému Biskupu (gakožto Swateho Petra Aposstolůw Knjzete) Náměstku / a Pána GŁzisse Krysta Wylčari neb Mjstodržjčymu / prawé Poslussenstwj slibugi a připowjdam.

Tež gine wssecko / co Swatými Duchownjmi Práwy / Wsseobecnými Sněmami / a zwláště Swato-Swatým Trydentským Sněmem wydáno / wyměřeno / a wyblasseno gest / nepochybně přigjmám a wyznávám. Naproti tomu / wsseliké Wěcy tomu odporné / a wsseligaká Kacýřská Včenj / která od Cýrkwe Swaté odsauzená / zawržená / a proklata gšau / y gá odsuzugi / zawrhu gi a prokljnam.

Tuto prawau Wsseobecnau Wjru (bez kterěžto žádný spa-

sen býti nemůže / a kterauž nynj dobrowolně wyznávám / též praw-
diwě držim) cele a neporuffeně až do mé Smrti stále (s Pomocý
Boží) mjnjm zachowati / wyznávati / y mým Poddaným / aneb
tém / gi hžto Správa ke mně přinalžeti bude / předkládati / ge
při njzdržowati / a podle mé neywyššy Možnosti wyřcowati / při-
powjdam / slibugi a přísahám. A tomu mi dopomáheg Pán
Bůh / a geho Swaté Ewangeliium / Amen.

Ritus Absolvendi & Benedicendi Populos, & Agros ex Apostolicæ Sedis Indulto.

Acepto Diplomate Pontificio constituatur dies Dominica De-
legato & populo commodior pro ejusdem diplomatis publi-
catione, & executionis inchoatione.

Die constitutâ, manè fiat concio, quâ doceatur populus de
contentis in Diplomate Pontificio, & de præparatione ad futu-
ram absolutionem, & benedictionem. Deinde Missa celebratur
à Delegato pro remissione peccatorum sinè Gloria in Excelsis, cum
unica Oratione, & Credo, in paramentis violaceis: quâ finitâ,
depositâ casulâ & manipulô induatur Celebrans pluviali viola-
ceo: & si sit Episcopus, Mitram simplicem assumat: & omnibus
genusflexis ante Altare, cantentur Litanie Sanctorum, omissis
precibus & orationibus post eas dici solitis.

Sedeat Delegatus finitis Litanis coopertô capite in sede sibi
parata super scabello Altaris, vel in sede Episcopali, si est Episco-
pus, seu super faldistorio posito super dicto scabello, cum duobus
ministris paratis more Diaconali & Subdiaconali sinè manipu-
lis, adstantibus hinc inde à lateribus omnibus de Clero, & altâ
voce ab aliquo legatur Diploma audiente populo: quô lectô di-
cat Delegatus: **DEO gratias.**

Tunc nomine populi ille, qui ibi pro Diacono assistit, profun-
dè inclinatus à sinistris Delegati facit Confessionem in cantu.




Onfiteor Deo omnipotenti beatæ Mariæ semper



Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni



Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus sanctis,



& tibi Pater: quia peccavi nimis cogitatione,



verbô & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxi-




ma culpa. Ideò precor beatam Mariam semper Virginem,




beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Bap-
 stam,

stam,



stam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes sanctos,



& te Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Quâ finitâ si est Episcopus, assumptô baculô Pastoralis in sinistra manu, & adhuc sedens cooperto capite incipit.

Psalmus 50.

Miserere mei DEUS: habetur fol: 366. lib: 3.

Deus misereatur nostri & benedicat fol: 353. lib: 3.

Super universum Clerum & populum genuflexum recitando tales Psalmos sine cantu, alternatim à Delegato & à Clero.

Quibus finitis Delegatus stans detecto capite, baculûque depositô, si est Episcopus, versus populum manibus junctis dicat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Et nē nos inducas in tentationem. **℞.** Sed libera nos à malo. **℣.**

Salvos fac servos tuos. **℞.** Deus meus sperantes in te. **℣.** Nihil

proficiat inimicus in eis. **℞.** Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. **℣.** Esto eis Domine turris fortitudinis. **℞.** A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam. **℞.** Et clamor meus ad te veniat. **℣.** Dominus vobiscum. **℞.** Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Deinde sedens Delegatus cooperto capite, & sicut Episcopus, assumptò baculò dicit:

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam æternam. *R.* Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. *R.* Amen.

Mamiquè dexterâ super populum genuflexum extensâ addit.

Auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, à Sanctissimo Domino nostro Papa **N.** mihi concessâ, absolvo vos & omnes hujus loci ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis etiam in literis die Cœnæ Domini solitis legi contentis per vos incurfis, quas modò ignoratis juxta tenorem Pontificii diplomatis proximè lecti. Et restituo vos omnes communioni, & unitati Fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Pa^{tr}is, & Fi^{li}i, & Spi^{rit}us sancti, Amen.

Si est Episcopus, facit ter signum Crucis.

Tunc delegatus adhuc sedens per se ipsum vel alium firmioris vocis indicet dies tres sigillatim pro jejunio, & decernat diem Dominicam sequentem, vel aliam arbitrio suo pro Communionem, Benedictionem agrorum & populi, & indulgentia plenaria.

Die constitutâ populus universus debet communicare, & borâ competenti Delegatus cantabit Missam, quæ est ad finem Missalis sub titulo pro quacunque necessitate, cum paramentis violaceis sinè Gloria, cum unica Oratione, & Credo, & in fine Missæ Celebrans benedicit de more, & si est Episcopus, non dat Indulgentias.

Finitâ Missâ, Delegatus & duo Ministri assumunt paramenta alba: & si est Episcopus, Mitram pretiosam: & genuflexi ante

Altare cum universo Clero & populo cantant Litanias Sanctorum, repetitio ter versiculo: Ut fructus terrae dare & conservare digneris, te rogamus audire nos. Illisque finitis, Delegatus stans detecto capite, manibus junctis dicit: Pater noster, &c.

Ps. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo.

Et additur a Clero in cantu Psalmus 84.

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

R. Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

M. Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

C. Convertite nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam a nobis.

N. Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extends iram tuam a generatione in generationem?

D. Deus tu conversus vivificabis nos: & plebs tua laetabitur in te.

O. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

A. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

E. Et super sanctos suos: & in eos, qui convertuntur ad cor.

V. Verumtamen propere timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

M. Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatae sunt.

V. Veritas de terra orta est: & justitia de caelo prospexit.

E. etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

J. Justitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

G. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Quo finito Delegatus dicit:

Ps. Benedices coronae anni benignitatis tuae. *R.* Et campi tui replebuntur ubertate. *Ps.* Oculi omnium in te sperant Domine. *R.*

Et tu das illis escam in tempore opportuno. *Ps.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus refugium nostrum, & virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, & praesta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

Deus,

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens & benignus assistis, exaudi nos quæsumus, & concede, ut impoſterum inviolabilis hujus loci permaneat bene ✠ dictio & tui muneris beneficia Universitas hæc Fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur.

ORamus pietatem tuam omnipotens Deus, ut fructus terræ, quos aëris & pluvie temperamentô nutrire dignaris, benedictionis tuæ imbre perfundas, & tribuas huic populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, ut fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *R.* Amen.

Postea aſſumptô baculô, ſi eſt Episcopuſ, & cooperto capite dicit Delegatuſ: Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûſ ſancti, ſuper agros & bona quæcumque loci hujus plena deſcendat, & maneat ſemper. Amen.

Si eſt Episcopuſ, facit ter ſignum Crucis.

Deinde acceptô de manu dignioris de Clero aquæ benedictæ aſperſoriô, aſpergit verſùſ quatuor mundi partē, dicens ſine cantu & ſine Pſalmo Antiphonam. Aſperges me hyſſopô & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Pro benedictione populi aperto capite manibus junctis dicit:

Pater noſter. *Ŷ.* Et nè nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo. *Ŷ.* Salvos fac ſervos tuos. *R.* Deus meus ſperantes in te. *Ŷ.* Non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. *R.* Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. *Ŷ.* Mitte nobis Domine auxilium de ſancto. *R.* Et de Sion tuere nos. *Ŷ.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ŷ.* Dominus vobiscum, *R.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Protector in te sperantium Deus, exaudi preces populi tui: & præsta, ut veniat super nos speratæ à te benedictionis ubertas, & pietatis tuæ muneribus jugiter perfruamur. Per Dominum nostrum, &c.

Tunc Diaconus cantat aliâ voce Humiliate vos ad Apostolicam benedictionem: *Et Delegatus stans aperto capite, Et si est Episcopus, baculum sinistra tenens manu, benedicit semel, Et si est Episcopus iter, dicens:*

Auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, benedico vos, & omnes hujus loci, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Demum cantetur Hymnus. Te Deum Laudamus: ut supra fol: 402. lib: 3. inchoatus à Delegato: Quò finito, Delegatus cantat Orationem pro gratiarum actione.

Oratio.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum, &c.

Cantores addunt: Benedicamus Domino. *R.* Deo gratias.

Præscriptam formulam benedicendi Populos & Agros de mandato Sacræ Rituum Congregationis per R. P. D. Julium Rospigliosum ejusdem S. Congregationis olim Secretarium revisam, & emendatam, eadem Sacra Rituum Congreg: approbavit, & concessit posse imprimi, factò verbò cum Sanctissimo. Die 21. Aprilis, 1635. Sanctissimus annuit die 1. Octob: 1635.

Locò Sigilli.

Cæsar Fachenettus Secret:

Facultates Episcopis Olomucen: concessæ.

Quoniam curam animarum Exercentibus, aliisque Confessariis non raro casus proponi videmus, ubi periculum peccati ab ovis vel pœnitentibus tolli non valet, nisi dispensatione, quæ si semper Romæ impetrari deberet, Christi fideles memorato peccandi periculo diu nimis obnoxii remanerent, ut itaque eò citius, faciliusque juvari possint, pro notitia Eorum, qui aliorum conscientias dirigunt, aliquæ facultates, similes casus concernentes, Episcopis Olomucensibus concedi solite, appressæ fuerunt.

Absolvendi ab hæresi, & Apostasia à fidè, & à schismate quocunque, tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares aut Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses, & post judicialem abjuracionem illuc reversi, in hæresim fuerint relapsi, & hoc in foro conscientix tantum.

Tenendi & legendi libros prohibitos hæreticorum ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, & Nicolai Machiavelli, & libros de Astrologia Judicialia principaliter, aut incidenter vel aliàs quovis modò de ea tractantes, ità tamen, ut libri ex illis provinciis non efferantur.

Dispensandi in tertio, & quarto simplici, & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis, in contractis cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingant primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

Dispensandi super impedimento publicæ Honestatis Justitiæ ex sponsalibus proveniente.

Dispensandi super impedimento criminis neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum.

Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis, & Religionis.

Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ, in locis tamen, ubi impunè grassantur hæreses.

Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas, aquâ ab Episcopo benedictâ, & in casu necessitatis etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo.

Induendi vestibus sæcularibus, si aliter accedere ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

Dispensandi, quando expedire videbitur super esu carniarum, ovorum, lacticiniorum tempore jejuniorum, & præsertim Quadragesimæ.

Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis, in conversione animarum laborantibus.





INDEX TERTII LIBRI RITUALIS, SEU AGENDÆ OLOMUCENSIS

	<i>Fol.</i>
Benedictio Aquæ.	-
Benedictio domorum.	-
Benedictio loci cujuscunque.	-
Benedictio domûs novæ.	-
Benedictio thalami.	-
Benedictio novæ navis.	-
Benedictio communis super fruges & vineas.	-
Benedictio candelarum in festo S. Blasii Ep: & Mart:	-
Benedictio panis & vini in eodem festo.	-
Benedictio panis & aquæ in Festo S. Agathæ contra periculum ignis.	-
Benedictio Scapularis B. V. MARIÆ.	-
Benedictio Coronæ Rosarii B. V.	354.
Benedictio Chordarum S. Francisci.	355.
Benedictio infirmorum.	356.
Benedictio peregrinorum in loca sancta prodeuntium.	358.
Benedictio peregrinorum post reditum.	360.
Benedictio vestimentorum, indumentorum.	361.
Benedictio candelarum extra diem Purificationis B. V. M.	<i>ibid.</i>
Ritus benedicendi, & imponendi primum lapidem pro Ecclesia ædificanda, servandus à Sacerdote, facultatem ab Episcopo habente.	362
Ritus benedicendi novam Ecclesiam seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctiss: Missæ Sacrificium celebrari possit.	368.
Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata.	372.

Ritus benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum.	374.
Ordo reconciliandi Cœmeterium violatum, sive Ecclesiæ contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta.	376.
De benedictione armorum.	378.
De benedictione ensis.	<i>ibid:</i>
De benedictione & traditione Vexilli bellici.	379.
De benedictione novæ Crucis.	380.
Benedictio Imaginum Jesu Christi Domini nostri, B. V. Mariæ & aliorum Sanctorum.	385.
De Processionibus Regulæ Generales.	386.
De Processione tempore Jubilæi.	389.
40. horarum precibus, quæ Cæremoniæ quoque 9. 7. horarum precibus accomodari possunt.	390.
De processione & translatione Sacrarum Reliquiarum insignium.	391.
De processione ad petendam pluviam.	<i>ibid:</i>
Processio ad postulandam serenitatem.	393.
Preces ad repellendam tempestatem.	394.
Preces dicendæ tempore penuriæ & famis.	395.
Processio tempore mortalitatis & pestis.	396.
Preces dicendæ in Litanis tempore belli.	397.
Processio in quacunque tribulatione.	401.
Preces dicendæ in processione pro quacunque gratiarum actione.	402.
Exorcismus contra quæcunque noxia animalia.	410.
De exorcizandis obsessis à dæmonio.	414.
De Missa quæ coram Episcopo celebratur.	437.
De Concione coram Episcopo faciendâ	439.
Instructio Parochorum, & aliorum Confessariorum, quorum absolutio vel dispensatio spectat, ad sacram Pœnitentiarum, seu ad sedem Apostolicam.	440.
Modus installandi, seu introducendi Neo-Parochum in suam Possessionem.	444.
Professio Fidei.	447.
Ritus absolvendi & benedicendi populos, & agros ex Apostolicæ Sedis indulto.	456.
Facultates quædam à Sede Apostolica Episcopis Olomucensibus concedi solitæ.	463.

